

F. G. W. S t r u v e

# Observationes astronomicas,

institutas in specula Universitatis caesareae

Dorpatensis,

publici juris facit Senatus Universitatis.

Volumen I.

Observationes annorum 1814 et 1815,

una cum reductionibus.



Dorpati, 1817.

Typis J. C. Schuenmanni.

L. VIIA  
2235

P a r s I.

Observationes ipsas continens.

cc.

## I n t r o d u c t i o .

Cum tribus abhinc annis observatoris in hac specula astronomica munus mihi tradere-  
tur, animo diu atque severe reputabam, nonne mihi in eo, qui tum erat, speculae  
statu jamjam aliquod genus observationum amplecti liceret, quibus utile aliquid ad  
cognitionem coeli stellati fortassis deduci posset, quibus et ipse in stellarum observatio-  
nibus instituendis ita exercerer, ut officio par et aliqua experientia in re versatus aptis-  
simam observationum methodum amplecti possem, si quando, quod sperabam, quae in  
hac specula etiam desiderabantur, accepta fuerint. Praeterea esse cujusvis, cui scien-  
tiarum progressus essent cordi, ut pro viribus niteretur, quo progredierentur.

Specula astronomica Universitatis Dorpatensis in colle jacens ad meridiem versus  
ab urbe Dorpato, aedificium ante hos quinque annos constructum, sicut cetera Uni-  
versitatis aedificia et instituta, quae eundem collem et urbem ornant, generositati  
ALEXANDRI originem debet. Sita est ad quatuor coeli plagas, formam praebens  
exteriorem rectangulorum duorum, sese in medio secantium, alterius majoris, minoris  
alterius, in cujus parte boreali turris sese attollit, ad summam usque partem fornicata  
et tholo mobili tecta. Minus rectangulum, a septentrione ad meridiem directum,  
continet atrium, cubiculum, quod hiemali tempore caleferi potest, et ad observantis  
commoditatem atque bibliothecam condendam inservit, atque domicilium custodis

observatorii. Alterum rectangulum, multo majus, cameras duas magnas praebet, observationibus destinatas, alteram ad occidentem, alteram ad orientem. Utraque aperituram habet in plano meridiei atque duas fenestras ad ternas coeli plagas, altas, oblongas, ita ut, cum totius ferme horizontis liberrimus sit conspectus, in totum coeli hemisphaerium telescopia dirigi possint, si exceperis eam partem, quae vertici proxima a meridiei plano distat. Quod incommodum eo tollitur, quod circa totum aedificium spatium planum est, circumjacenti collis parte altius, ad speculam pertinens.

Neque vero aedificium ipsum pro omnino perfecto haberi potest, cum in usum observatoris aedes desint, cum ipsa specula conjunctae; quibus deficientibus, nullo modo series continua observationum fieri potest, cum astronomum inter ipsa instrumenta domicilium habere oporteat, ita ut, sine ullo temporis defectu et virium et sanitatis, quotiescumque coelum serenum vocet et corpus, parco somno contentum, valeat, ad coelum contemplandum accedere possit. Quod in terris quidem nostris borealibus magis etiam necessarium est, cum plurimae observationes per hiemen, frigore saepe ultra 20 gradus Reaum. insignem, instituendae sint. Sed est spes fore, ut, si maximi Imperatoris munificentia copias, quibus eget haec literarum universitas, largierit, etiam speculae ita prospiciatur, ut nil neque in aedibus, neque in instrumentis desit.

Aderat ad usum astronomicum non exigua instrumentorum copia, in qua nonnulla egregiae notae apparebant:

- 1) Tubus culminatorius magnus octo pedum.
- 2) Rotae multiplicatrices Baumannii duae. Altera columnae fixae adaptari potest ad stellarum observationes, et tum temporis in fenestra versus meridiem locum tenebat. Postea consultum, ut, transposito instrumento in fenestram e regione sitam, etiam stellae boreales observari possent. Diameter circuli est 16 pollicum Par., et longitudo telescopii 20 pollicum. Circulus in quinas minutas primas divisus, ita ut per Nonium quinae minutae secundae indicentur. Ad justum columnae situm conciliandum et apparatus est pendulo instructus atque microscopiis transversis, et libella columnae juncta, quae majorem offert certitudinem.
- 3) Sextantes reflectentes, Dollondi 7 pollicum per Nonium in tricenas minutas secundas divisus, et Baumannii 10 pollicum, atque circulus reflectorius Troughtoni, uterque

ni denas secundas divisus. Circulus hic tribus regulis, quae Nonios ferunt, instructus est et propter majus pondus, cum libera manu vix tractari possit, pedi imponi potest. Unde maximum commodum, quod est in instrumentis reflectentibus, in ipso perit.

4) Telescopium achromaticum Troughtoni 5 pedum, egregium sane claritate et vi optica. Sunt quatuor vitra ocularia composita, quorum vires amplificatrices sunt 82, 101, 135 et 221. Vis optica est egregia, cum instrumento comitem Polaris et annulum rebulosum in Lyra videre liceat. Micrometro circulari hoc instrumentum instructum est.

5) Tubus catoptricus Herscheli 8 pedum, qui vero claritate a praecedenti superatur atque imaginis distinctione.

6) Horologium oscillatorium Brockbanksi et Chronometrum Arnoldi patris.

7) Praeterea plures tubi optici minoris vis, inter quos duo cometarum scrutatores, qui vocantur, alter achromaticus Tidemannii, alter simplex Dollondi.

Hanc instrumentorum copiam cum ad usum paratam haberem, non diu incertus eram, quatenam prae ceteris observationes mihi amplectendae essent. Scilicet non satis mihi videbatur ad solas occultationes et eclipses observandas hunc instrumentorum apparatus adhibere, et, quae aliae occurrunt observationes, oblata occasione contemplari. Neque vero ad continuas Solis, planetarum et Lunae observationes sufficiebat, cum deesset majus instrumentum ad declinationes constituendas. Nec rota illa Baumannii mihi idonea videbatur, quacum stellarum declinationes et refractiones cognoscendas aggrederer.

At vero tubus ille culminatorius poscebat, ut digno more adhiberetur; atque utilissimum mihi videbatur, si eo ad circumpolarium stellarum ascensiones rectas determinandas uterer. Incertus vero eram, quatenus conatus mihi successurus esset, cum et eousque inusitatum jaceret instrumentum, atque de ejus praestantia incertus essem, et inscius horologiumne Brockbanksi satis regularem haberet motum, ut accuratiores evaderent observationes.

Tubus vero culminatorius ille ita se probavit, ut spem, quam tenueram, longe superaret. Sed paulo longius de ipso referam. Instrumentum Londini a Joanne Dollondio fabrefactum. Tubus habet octo pedes in longo, axis est quatuor pedum; dia-

meter vitri objectivi est 51 lin. Par., ejus distantia focalis 82 poll. 6 lin. Par. Sunt vitra composita ocularia quatuor, quarum vires singulari methodo examinavi. Etenim si F et f sunt vitrorum et objectivi et ocularis distantiae focales, est  $F:f=V$  vis amplificatrix telescopii. F facili negotio metiri possumus, f vero est difficilior cognitu. Sed utrumque non necesse est in tubo culminatorio, in cujus foco communi est reticulum filorum. Lineae, quae a vitri objectivi centro ad duo proxima fila verticalia ducta cogitari possunt, angulum A inter se faciunt, qui, si tempus, quo stella in aequatore a filo altero ad alterum migret, est J, per  $15 J$  exprimitur. Fila eadem proxima per oculare inspecta sub angulo aliquo apparebunt B, quem hoc modo cognoscere licet per projectionem. Filorum intervallum per oculare ad spectum altero oculo nudo comparatur cum scala partium mensurae notae in distantia quadam sub angulo recto locum tenenti. Quae distantia si est D, et partes in scala intervallo filorum congruentes = M est  $\tan \frac{1}{2} B = \frac{M}{2D}$ ; atque loco formulae  $F:f$  adhibenda est altera  $V = \tan \frac{1}{2} B : \tan \frac{1}{2} A$  seu  $V = M : 2D \cdot \tan \frac{1}{2} A = \frac{M}{D} \cot A$ . Sunt in tubo hoc quatuor intervalla subsequencia inter quinque fila verticalia, ita ut

| pro intervallis | J =   | A =     | cot A = |
|-----------------|-------|---------|---------|
| 1               | 24,97 | 6' 14,5 | 550,8   |
| 2               | 25,58 | 6 23,7  | 537,5   |
| 3               | 24,67 | 6 10,0  | 557,5   |
| 4               | 25,20 | 6 18,0  | 545,7   |

Jam si quatuor vitra ocularia per I, II, III et IV exprimuntur: haec sunt die 20. Dec. 1813 observata, et inde deducta.

| Pro oculari. | D = poll. Par. | Intervalla. | Pollices in scala. | V =  | Sunto medio |
|--------------|----------------|-------------|--------------------|------|-------------|
| I            | 96             | 1           | 9,2                | 52,4 | = 51,85     |
|              |                | 2           | 9,17               | 51,3 |             |
|              |                | 3           | 8,95               | 52,0 |             |
|              |                | 4           | 9,10               | 51,7 |             |
| II           | 72             | 1           | 12,2               | 93,3 | = 92,67     |
|              |                | 2           | 12,3               | 91,9 |             |
|              |                | 3           | 12,03              | 93,1 |             |
|              |                | 4           | 12,2               | 92,4 |             |

|     |    |   |      |       |          |
|-----|----|---|------|-------|----------|
| III | 33 | 1 | 8,0  | 133,5 | = 131,55 |
|     |    | 2 | 8,0  | 130,3 |          |
|     |    | 3 | 7,7  | 130,1 |          |
|     |    | 4 | 8,0  | 132,3 |          |
| IV  | 53 | 1 | 10,5 | 175,2 | = 172,60 |
|     |    | 2 | 10,5 | 171,0 |          |
|     |    | 3 | 10,1 | 170,6 |          |
|     |    | 4 | 10,5 | 173,6 |          |

Quod si repetitae fuissent haec comparationes, major etiam certitudo pro quantitate V accepta fuisset, sed haec jam in usum meum sufficiebat.

Maxima vero hujus organi virtus est in vi, quam vocant, optica. Comes Polaris exigua 18" ab ipso distans, a cel. Herschel primum observata, non solum hoc instrumento apparuit oculo, sed observari potuit, filis ita illuminatis, ut in plurimis stellarum observationibus. Adeo contigit die 26. Jan. 1816, ut hora jam post solis occasum in diluculo stella haec observari posset, coelo eximie sereno, cum fila sine lumine lampadis etiam viderentur. Stellae plures tertiae magnitudinis ipso culminante sole observari possunt, non solum Polaris et  $\beta$  Ursae minoris, sed subtiliores et soli viciniores  $\alpha$  et  $\beta$  Cephei,  $\alpha$  Cassiopeiae. Adeo  $\theta$  Cassiopeiae vidi una cum sole culminantem, quamvis 4tae tantum magnitudinis. Stellae in cauda ursae majoris per totum annum etiam in culminationibus inferioribus observantur. Sed subtilissima stellarum observationum est, quae, quantum scio, a nullo astronomo constituta est, declinationem habens  $89^\circ 55'$ , ita ut jure pro tempore polarissima vocari possit, et ascensionem rectam 8 hor 7'. Scilicet omnes observationes cum vitro oculari III institutae, cujus vim supra = 131,55 inveni. Unde coelo tranquillo bisectionem ipsius Polaris ad  $0'',5$  temporis tuto liceret discernere.

Duo vero sunt, quibus tubi culminatorii pretium pendet, praeter vim opticam, unum, ut solida et immutabilis instrumenti sit structura, alterum, ut in figura cylindrorum axis nil prorsus desit. Utrumque in hoc instrumento locum habet. Error lineae collimationis ab omnibus variationibus vacuus instrumenti solidam probat naturam. Ejusdemne radii cylindri axis sint, optime per libellam suspensoriam examinatur. Hoc inquisitum est mense Martio 1814, unde proveniebat radium axis orientalis  $0'',23$  esse

majorem seu circiter  $\frac{1}{20000}$  pollicis. Id quod, ut in tempus observationum vix  $\frac{1}{30}$ '' facit, in ascensiones rectas constituendas nil agit, si ex observationibus mere astronomicis instrumenti correctiones cognoscuntur.

Sed longe est difficilius in ipsam cylindrorum figuram inquirere. Quod si stellae plures diversis declinationibus, supra polum et sub polo singulae observatae, eandem omnes correctionem situs instrumenti, seu ad planum meridianum, seu ad solum coeli polum retuleris, praebent, inde perfectissima cylindrorum forma probatur. Nam libellae suspensoriae in omnibus instrumenti directionibus aequali conditione elliptica solum axium forma sequitur, non vero eam cylindricam esse opus est, ut monuit cel. Bessel in introductione ad observationes Regiomontanas pag. V. partis primae. Si jam ex diario observationes dierum 12 et 13. Febr. 1815 eligo, ubi coelo favente plures stellae in utraque culminatione bene observatae sunt, atque ex proxime in ascensione recta oppositis distantiam  $\Delta$  circuli maximi ab instrumento descripti a polo constituo, haec inveniuntur.

| Ex  | $\Delta =$ |         |
|---|------------|---------|
|   | in tempore | in arcu |
| Polari et $\epsilon$ Urs. maj.            | — 0,918    | — 13,77 |
| $\epsilon$ Urs. min. et Capella           | — 0,897    | — 13,45 |
| Camelop. 62 et $\beta$ Drac.              | — 0,877    | — 13,16 |
| $\theta$ Cassiop. et $\zeta$ Urs. maj.    | — 0,925    | — 13,87 |
| $\alpha$ Cassiop. et $\epsilon$ Urs. maj. | — 0,932    | — 13,99 |

Videmus stellas declinationis inter  $50^\circ$  et  $60^\circ$  eandem  $\Delta$  praebere proxime quam polo viciniore, Polaris,  $\epsilon$  Urs. min. et Camelop. 62, quarum declinationes sunt  $88^\circ 19'$ ,  $82^\circ 19'$  et  $78^\circ 59'$ .

Non vero hoc contento esse licet; sed ultra res perscrutanda est. Si jam ex una semper stella correctio instrumenti deducta sit, atque cum hac correctione aliarum stellarum ascensiones rectae ex utraque culminatione separatim eadem calculentur in omnibus declinationibus, de cylindrorum forma tuti sumus. Quae res cum maximi momenti sit, atque numerus observationum stellarum in culminatione inferiori (1400) non multo minor sit, quam in culminatione superiore (1700), accuratius constitui potest pro hoc instrumento. Etenim correctiones ejus ex observationibus Polaris fere semper

solius, raro aliarum stellarum polo proximarum, ut  $\delta$  Urs. min., deductae sunt. Schema vero sequens ante oculos ponit differentias in ascensione recta stellarum, quae saepius quam semel in utraque culminatione seu iisdem diebus seu diversis observatae sunt, ex culminatione inferiore deductae et superiore, scilicet adhibita ad calculum correctione instrumenti, quae provenit ex Polari stella. Atque medium ex omnibus ejusdem stellae observationibus sub polo a medio supra polum dentum est, et indicat signum  $+$  majorem ex inferiore culminatione exstitisse ascensionem rectam, et vice versa. Ut vero evitentur in fine quam maxime errores in observationibus singularum stellarum, medium sumtum ex stellis ita observatis omnibus, quae ad eandem zonam pertinent, si a polo ad  $45^\circ$  declinationis totum coelum in novem zonas dividas, quinos gradus amplectentes. Hae vero differentiae, ut certi aliquid designent, in partibus circuli maximi dantur, ita ut, si  $dA$  sit observata inter utriusque culminationis ascensiones rectas differentia,  $15 dA : \sec. Decl.$  suppeditet quantitatem pro schemate.

| Zona I a $45^\circ$ ad $50^\circ$ decl.   |        | Zona II a $50^\circ$ ad $55^\circ$ decl. |        |
|---|--------|--|--------|
| Stellae                                   | d A.   | Stellae                                  | d A.   |
| $\alpha$ Persei                           | + 0,6  | $\theta$ Cassiopeiae                     | — 1,5  |
| $\mu$ Persei                              | — 1,1  | $\tau$ Persei                            | + 0,1  |
| $\beta$ Aurigae                           | — 0,6  | $\gamma$ Camelop.                        | — 1,0  |
| $\delta$ Herculis                         | — 0,5  | $\delta$ Aurigae                         | — 0,2  |
| Sumto medio                               | — 0,40 | $\nu$ Ursae maj.                         | — 0,7  |
|   |        | $\eta$ Ursae maj.                        | + 2,0  |
|   |        | $\beta$ Draconis                         | + 0,5  |
|   |        | $\gamma$ Draconis                        | + 0,6  |
|   |        | Sumto medio                              | — 0,02 |
| Zona III a $55^\circ$ ad $60^\circ$ decl. |        | Zona IV a $60^\circ$ ad $65^\circ$ decl. |        |
| Stellae                                   | d A.   | Stellae                                  | d A.   |
| $\delta$ Cassiopeiae                      | + 0,3  | Camelop. 45                              | — 1,4  |
| $\epsilon$ Ursae maj.                     | + 0,4  | 10 Camelop.                              | — 0,6  |
| $\nu$ Draconis                            | 0,0    | 14 Camelop.                              | — 1,5  |
| $\zeta$ Draconis                          | + 0,5  | $\alpha$ Ursae maj.                      | + 0,3  |
| $\zeta$ Urs. maj.                         | 0,0    | 18 Draconis                              | — 0,3  |
| $\beta$ Cassiopeiae                       | — 1,4  | $\alpha$ Cephei                          | + 0,2  |
| Sumto medio                               | — 0,03 | Sumto medio                              | — 0,55 |

| Zona V a 65° ad 70° decl. |        |
|---------------------------|--------|
| Stellae                   | d A    |
| α Draconis                | — 0,2  |
| 27 Draconis               | — 0,0  |
| ω Draconis                | — 0,5  |
| δ Draconis                | — 0,5  |
| β Cephei                  | 0,0    |
| ζ Draconis                | — 0,2  |
| Sumto medio               | — 0,24 |

| Zona VII a 75° ad 80° decl. |        |
|-----------------------------|--------|
| Stellae                     | d A    |
| Rangiferi 32                | + 0,1  |
| Camelop. 62                 | + 0,1  |
| B Ursae min.                | + 0,2  |
| A Ursae min.                | + 0,5  |
| θ Ursae min.                | + 0,7  |
| ζ Ursae min.                | + 0,5  |
| κ Ursae min.                | + 1,1  |
| η Ursae min.                | + 0,4  |
| 41 Draconis                 | — 1,0  |
| γ Cephei                    | — 0,6  |
| Sumto medio                 | + 0,20 |

| Zona IX a 85° ad 90° decl. |       |
|----------------------------|-------|
| Stellae                    | d A   |
| Ursae min. 1               | — 1,7 |
| Ursae min. 12              | — 1,3 |
| Ursae min. 20              | + 0,4 |
| Cephei 323                 | + 0,8 |
| Ursae min. 45              | + 0,7 |

| Zona VI a 70° ad 75° decl.       |        |
|----------------------------------|--------|
| Stellae                          | d A    |
| Custodis Mess. 75                | — 1,6  |
| Camelop. 74                      | + 0,3  |
| β Ursae min.                     | — 0,4  |
| γ Ursae min.                     | 0,0    |
| ψ Draconis                       | — 0,8  |
| Sumto medio                      | — 0,50 |
| ex tribus longe certioribus vero | — 0,03 |

| Zona VIII a 80° ad 85° decl. |        |
|------------------------------|--------|
| Stellae                      | d A    |
| Camelop. 216                 | — 0,6  |
| Rangiferi 15                 | — 1,2  |
| Rangiferi 16                 | — 0,5  |
| Camelop. 219                 | — 0,1  |
| Rangiferi 23                 | + 0,4  |
| Rangiferi 26                 | 0,0    |
| Camelop. 223                 | + 0,5  |
| Ursae min. 53                | + 0,8  |
| Rangiferi 41                 | + 0,4  |
| Rangiferi 42                 | — 0,1  |
| Camelop. 36                  | + 0,2  |
| ε Ursae min.                 | + 0,1  |
| Sumto medio                  | — 0,01 |

|               |        |
|---------------|--------|
| Ursae min. 57 | + 1,4  |
| Camelop. 64   | + 0,7  |
| Ursae min. 4  | + 0,3  |
| Camelop. 120  | — 0,1  |
| δ Urs. min.   | + 0,1  |
| Sumto medio   | + 0,03 |

Quae ita mediae pro quavis zona repertae sunt differentiae probant utique, si quae sunt in instrumento axium inaequalitates, esse eas vel perexiguas vel pro nullis

habendas. Atque difficile dictu erit, quatenus hae differentiae ex instrumento originem traxerint, sive ex erroribus, quibus omnes observationes affectae sunt. In universum vero praeterea hoc schema probat, semper accuratissime correctiones instrumenti exploratas fuisse, et ascensiones rectas hoc instrumento constitutas eam accepisse certitudinem, ut, si satis magnus observationum numerus est, de partibus solis minutae secundae in arcu circuli maximi pro loco stellae dubitari possit. Nam quae paucae in schemate differentiae ultra 1" sunt, eae omnes fere in illis stellis apparent, quarum in altera culminatione seu numerus observationum non satis magnus, seu observationes ipsae non satis tutae erant.

Fila deficiebant, cum instrumentum in usum acciperem, quae ut restituerem, primum erat. Sex fila extendi, quinque verticalia, sextum horizontale, bombycina. Scilicet filum, quod ex folliculo bombycis demseram, postquam per aquam calidam, cui immergebatur, gluten amisit, findebatur, et tum tenuissimum, quam maxime extensum, in laminam orichalcinam, quae reticulum filare tenebat, vernice figebatur. Filorum horum diameter apparens est inter 1" et 2".

Duae columnae latericiae, quarum fundamentum 14 pedes profundum est, 7 pedes altae, instrumentum ferunt. Axis fulcra ex eodem metallo sunt atque cylindri, et duobus planis in rectangulum coeuntibus consistunt. Ut vero per frictionem neque axis cylindri neque fulcra deterantur, totum instrumentum per globos duos cavos, quibus pondera includuntur, vectibus heterodromis applicatos ita libratur, ut minimo pondere in fulcra premat. Cum columnae illae jam per nonnullos annos stetissent, sperabam eas ita exsiccatas esse, ut, cum sine ullo connexu cum ceteris aedificii partibus starent, et a radiis solis tutae essent, instrumenti in ipsis situs quam minime variabilis existeret. Id quod per anni 1814 spatium ita se probavit, ut plane mihi satisfaceret. Sed anno 1815 majores variationes apparebant, de quibus eo magis mirabar, cum anno praecedenti nullum earum fuisset vestigium. Sed de his postea. Alteri axis fulcro junctus semicirculus in singulos gradus et vicensas minutas primas divisus, per Nonium in singulas minutas. Insevit stellarum a vertice distantis cognoscendis.

Horologium oscillatorium Brockbanksi prope hoc instrumentum locum in suo fundamento tenebat. At vero magna jam dubia ante quam ipsas observationes inciperem orta erant de hujus horologii virtute, cum motus ejus diurnos inspicerem, quales ex pluribus altitudinum correspondentium observationibus prius institutis deducebantur. At vero ratus eram non me fugituras, quae in motu ejus essent inaequalitates, si, quotiescumque fieri posset, stellae fundamentales ad horologii correctiones cognoscendas observarentur, cum de stellarum fundamentalium ascensionibus rectis opera cell. Maskelini et Piazzii nil amplius desiderandum relictum esset. Non vero mihi successit, ut certo cognoscerem causam, cur horologium illud varios caloris frigorisque gradus ita sequeretur. Verisimillimum mihi est, pendulum novi generis tubulare Troughtoni, quod habet, non eam soliditatem in partibus habere, qua opus sit. Nam pluries in omnes partes dividi pendulum, et magna cum cura composui sine fructu, quamquam omnes partes ita structae et junctae sunt, ut et theoria et praecepta Troughtoni postulant.

Jam cum ineunte anno 1814 observationes inciperem, elegi stellas, quae in cel. Bode Uranographia occurrunt ad quintam usque magnitudinem, et a declinatione  $45^\circ$  ad polum. Plura vero erant, quae commoverent, cur ad circumpolares stellas accederem. Primum notum est cel. Piazzii non eam diligentiam in universum stellis circumpolaribus navasse, quam stellis aequatori vicinioribus, quod inde apparet, quod numerus observationum harum stellarum minor sit. Intererat astronomos videre, quatenus bonae aliae observationes pro stellis borealibus easdem ascensionis praebiturae essent, quae in catalogo illo non satis laudando occurrunt. Tum stellae polo proximae, quas per totum annum observare licet, Polaris,  $\beta$  et  $\delta$  Ursae minoris et aliae, maxime idoneae videbantur ad cognoscendam parallaxin, si qua esset. Jam rebar, si quae in horologio inaequalitates minutissimae me fugerent, eas, quo viciniore stellae ad polum, hoc minus contra certitudinem observationum acturas. Idque praecipue in zona a  $70^\circ$  declinationis ad polum, in qua vero egregia tubi virtus optica eximiam observationum aciem spondebat, cum oculari vitro illo III, cujus vis optica est 132, ad omnes culminationes observandas uti liceret. Denique pro elevatione poli Dorpatensis licere totum coelum boreale a  $45^\circ$  declinationis

ad polum in utraque culminatione eo facilius observare, cum tempore hiemali noctibus longioribus fruamur, quae, si magnum frigus non timeamus, ad observationes maxime sunt idoneae propter aeris claritatem.

Observationes continuavi usque ad finem mensis Aprilis. Tum interruptae sunt itinere, quod in Germaniam feci. Quo itinere celeberrimos Germaniae septentrionalis astronomos noscere et Uraniae templa, quae Bremae, Lilienthali, Goettingae, Gothae, Berolini et Regiomontii sunt, visere felici contigit. Redux ex itinere mense Novembri observationes iterum aggressus sum. Cum vero jam tempestas regnaret per duos menses omnibus observationibus contraria, hoc tempus ad reductionem observationum huc usque factarum adhibui. Quae reductio magno mihi incitamento fuit, ut majori etiam diligentia continuarem observationes, quas inceperam, cum jam certior essem eximium certitudinis gradum ab hoc instrumento praebere. Cui accessit, quod novum horologium et, ut sperabam, longe melius in usum venerat, ab artifice Hubert, jam Dorpati degenti, constructum, quod idem antea Lilienthali fuerat, ibique per anni spatium a cel. Harding, inde a mense Julio 1803 ad Augustum 1804, observatum. Cum Goettingae essem cel. Harding mihi schema de motu hujus horologii ex suis observationibus tradidit, ex quo schemate, si pro mense quovis motum medium capio, talis habetur.

| anni | mense | erat motus diurnus medius ad<br>tempus solare medium |
|------|-------|--|
| 1803 | Jul.  | — 0,33   |
|      | Aug.  | — 0,55   |
|      | Sept. | — 0,72   |
|      | Oct.  | — 0,86   |
|      | Nov.  | — 0,77   |
| 1804 | Febr. | — 0,55   |
|      | Mart. | — 0,42   |
|      | Apr.  | — 0,50   |
|      | Maj.  | — 0,38   |
|      | Jun.  | — 0,28   |
|      | Jul.  | — 0,66   |
|      | Aug.  | — 0,75   |

Hoc vero horologium nullo modo eandem per anni 1815 observationes obtulit praestantiam, quamvis longe antefendum erat alteri horologio Brockbanksi. Atque ex comparatione cum thermometro apparebat, etiam hujus horologii vitium in pendulo esse. Neque vero tum temporis ipse artifex, qui post aliquod tempus pendulum accuratissime perscrutabatur, invenire potuit, cur non ut antea ageret. Anno vero 1816, quatenus per aliquot menses observavi horologium, postquam iterum in auctoris manibus fuit, veterem laudem tuebatur. Non vero inaequalitates ejusmodi erant, ut male observationes afficerent, sed pro quovis observationum die per id, quo opus fuit, temporis spatium, satis constabat de ejus motu ad accuratissimam observationum reductionem, ita quidem ut per fundamentalium stellarum observationes non opus esset motum horologii moderare.

Itaque ad stellas circumpolares initio anni 1815 iterum me contuli, jam vero praecipue omnes Uranographiae stellas a 75° ad 90° declinationis observandas proposui, et quidem ita, ut quavis nocte easdem stellas in culminatione utraque observarem, quot possem. Praeterea, quae aliae in hac regione occurrebant stellas, partim in historia coelesti Francogallica obviae, partim hucusque omnino non observatae, determinandae erant. Non vero has observationes longius continuare potui, quam usque ad diem 9 num mensis Maji, cum die sequenti iter ingrederer, rebus domesticis me iterum in Germaniam vocantibus. Quod vero iter etiam occasio fuit, ut speculas celeberrimas Manhemi et Tubingae et artificis Baumanni officinam Stutgardae viserem, et Manhemi ascensiones rectas Vestae in oppositione exeunte mense Julio observarem tubo culminatorio, dum cel. Schumacher quadrante magno murali ejusdem declinationes determinaret.

Jam pervenio ad elementa correctionis observationum ex instrumento ipso, quae sunt tria, distantia filorum verticalium, error collimationis filii medii, atque deviatio instrumenti a polo coelesti, seu angulus, quem circulus maximus ab instrumento descriptus cum circulo declinationum cum ipso in aequatore conveniente facit. Sed de his paulo copiosius.

Cogitemus planum in lineam centra cylindrorum axis jungentem verticale. Angulus, quem linea collimationis cum hoc plano facit, est error collimationis = 15 E.

Planum illud in coelo circulum maximum describit, qui in puncto aliquo intersectat aequatorem. Quod si per hoc punctum circulum declinationis transeuntem cogitamus, angulus, quem duo illi circuli maximi inter se faciunt, est deviatio instrumenti = 15 Δ, cui angulo respondet perpendicularum a polo coeli in circulum maximum instrumenti. Si jam tempus culminationum superioris et inferioris observatarum est T et Ξ stellae, cujus declinatio D, atque supponitur et errorem collimationis et deviationem ad orientem esse, transitus correctus per hunc circulum declinationis erit in culminatione superiore

$$T + \sec D. E + \tan D. \Delta$$

in inferiore

$$\Xi - \sec D. E - \tan D. \Delta;$$

alterius stellae, cujus d declinatio est:

$$t + \sec d. E + \tan d. \Delta \text{ et}$$

$$t - \sec d. E - \tan d. \Delta.$$

Atque harum stellarum ex culminatione superiore differentia in ascensione recta, si horologium secundum tempus primi mobilis moveri supponitur,

$$(T - t) + (\sec D - \sec d). E + (\tan D - \tan d). \Delta$$

e culminatione inferiore

$$(\Xi - t) - (\sec D - \sec d). E - (\tan D - \tan d). \Delta$$

Si utriusque stellae culminationem utramque conferimus, evadent aequationes

$$(T - \Xi) + 2 \sec D. E + 2 \tan D. \Delta = 12 \text{ hor. temp. pr. mob.}; \text{ et}$$

$$(t - t) + 2 \sec d. E + 2 \tan d. \Delta = 12 \text{ hor. temp. pr. mob.}$$

Ex quibus duabus aequationibus et E et Δ cognosci potest, et certius ex plurium stellarum aequationum complexu secundum methodum quadratorum minimorum. Sed quam maxime difficile est has duas incognitas ita separare. Nec eo opus est, cum aliunde E faciliori negotio cognosci possit. Itaque, si  $T + \sec D. E = T'$  et  $\Xi - \sec D. E = \Xi'$ , altera aequationum, quae in  $(T' - \Xi') + 2 \tan D. \Delta = 12 \text{ hor. transit}$ , dabit  $\Delta = \frac{12 \text{ hor.} - (T' - \Xi')}{2 \tan D.}$  Magni emolumenti est si duae stellae in ascensione quam proxime oppositae ad deviationem cognoscendam utrimque a polo observatae sunt; ut, exempli causa, Polaris et ε Ursae

majoris, ζ Ursae majoris et δ Cassiopeiae, Camelopardali 62 et ε Ursae minoris, δ Ursae minoris et Camelopardali 120. Erit temporis spatium inter culminationes alterius, cujus D est declinatio, supra polum et alterius, cujus declinatio d, sub polo, utraque pro errore collimationis correctas, (T' - t') = U; et 12 horis post in oppositis culminationibus (T' - t') = U. Unde, quod facile apparet

$$\Delta = \frac{U - u}{2 (\text{tang } D + \text{tang } d)}$$

Id vero hujus formulae est commodum, ut de motu horologii intra 12 horas nulla sit quaestio, modo per exigua spatia U et u sit regularis.

At vero duo sunt etiam examinanda. Primum, si quid in errore collimationis constituendo erratum, atque cum hoc non justo ex observationibus deviatio deducta sit, quatenus inde ascensiones rectae afficiantur. Tum quid ad easdem faciat, quod stellarum culminationes, ex quibus deviatio deducta est, ab effectu aberrationis diurnae non purgatas adhibui.

Sit 15 E error collimationis suppositus pro justo 15 E', et 15 Δ deviatio instrumenti inde supputata pro justa 15 Δ'. Si ex ejusdem stellae oppositis culminationibus deviatio instrumenti est supputanda, haec inter illas quantitates obtinet aequatio:

$$\begin{aligned} \sec D. E + \text{tang } D. \Delta &= \sec D. E' + \text{tang } D. \Delta' \\ \text{atque } \Delta' &= \Delta + (E - E') \text{ cosec } D. \end{aligned}$$

Si stella ad deviationem constituendam, ut plerumque, est polaris, erit cosec D = 1,

$$\begin{aligned} \text{et } \Delta' &= \Delta + (E - E') \\ \text{atque } \Delta' - \Delta &= - (E' - E). \end{aligned}$$

Jam si stella, cujus declinatio δ, collata est ad ascensionem rectam A' cognoscendam cum fundamentali, cujus declinatio est d et ascensio = a, si in eadem culminatione utraque stella observata est, accipimus

$$A = a + (\tau - t) \overline{+} (\sec \delta - \sec d). E \overline{+} (\text{tang } \delta - \text{tang } d). \Delta$$

pro justa

$$A' = a + (\tau - t) \overline{+} (\sec \delta - \sec d). E' \overline{+} (\text{tang } \delta - \text{tang } d). \Delta'$$

atque evadit error in A seu

$$\begin{aligned} A' - A &= \overline{+} (\sec \delta - \sec d). (E' - E) \overline{+} (\text{tang } \delta - \text{tang } d). (\Delta' - \Delta) \\ &= \overline{+} ((\sec \delta - \text{tang } \delta) - (\sec d - \text{tang } d)). (E' - E) = M. (E' - E) \end{aligned}$$

Apparet, quo major est stellae determinandae declinatio δ, eo minorem esse inter secantem et tangentem differentiam, ita ut A' - A eo minor evadat, quo stella polo vicinior. Si stella fundamentalis Capella, est sec d - tang d = 0,418, et pro denis a 45° declinationum gradibus, si in collimationis errore constituendo 1" peccatum, seu 15 (E' - E) = 1", atque (E' - E) = 0",067, est

| pro d | M                    | A' - A                |                      |
|-------|----------------------|-----------------------|----------------------|
| 45°   | $\overline{+}$ 0",01 | $\overline{+}$ 0",001 | $\overline{+}$ 0",01 |
| 55°   | $\overline{+}$ 0,09  | $\overline{+}$ 0,006  | $\overline{+}$ 0,05  |
| 65°   | 0,18                 | 0,012                 | 0,08                 |
| 75°   | 0,27                 | 0,018                 | 0,07                 |
| 85°   | 0,36                 | 0,024                 | 0,03                 |

} in tempore  
} in partibus circuli maximi pro loco stellae

Atque videmus 12" peccatum sit opus esse in collimatione seu 0",8 in tempore, antequam locus stellae in ipsa regione 1" mutetur, si stella constituenda et fundamentalis in eadem culminatione observatae sunt. Quod si vero duae stellae in oppositis culminationibus conferantur, erit:

$$A' - A = \overline{+} ((\sec \delta - \text{tang } \delta) + (\sec d - \text{tang } d)) (E' - E) = M. (E' - E)$$

et, si iterum (E' - E) = 0",067 supponitur, et fundamentalis Capella est:

| pro d | M                     | A' - A                |                      |
|-------|-----------------------|-----------------------|----------------------|
| 45°   | $\overline{+}$ 0",820 | $\overline{+}$ 0",055 | $\overline{+}$ 0",58 |
| 55°   | 0,753                 | 0,049                 | 0,42                 |
| 65°   | 0,640                 | 0,043                 | 0,27                 |
| 75°   | 0,549                 | 0,037                 | 0,14                 |
| 85°   | 0,492                 | 0,033                 | 0,04                 |

} in tempore  
} in partibus circuli maximi pro loco stellae

Apparet in declinationibus errorem in ascensione recta oriri posse, quo stellae positio 0",6 circuli maximi in regione ipsa mutetur. Pro stellis polo vicinioribus vero hic effectus immuhitur, ita ut ultra 75° declinationis ultra decimam secundae partem non faciat. Concludimus itaque: si stellae in eadem culminatione conferantur, quidquid minutissimum in collimationis errore cognoscendo

peccatum sit, nil prorsus ad ascensionem rectam facere; non vero suadendum esse, nisi intra 1" spatium de collimatione constet, stellas a 45° ad 65° cum fundamentali in opposita culminatione comparare, sed errorem aliquem existere non plane negligendum, qui vero, quo major sit declinatio, eo minor evadat.

Effectus aberrationis diurnae in culminationes stellarum Dorpati est  $\mp 0'',0106$ . sec Decl. in tempore. Inquirentibus, quatenus falsae existant ascensiones rectae stellarum, si deviatio instrumenti ex observationibus stellae polaris cognoscatur, nulla hujus aberrationis diurnae habita ratione, per similem calculum hocce proveniet.

Si A' est ascensio recta justa stellarum ex calculo, justa deviatione adhibita et ab effectu aberrationis diurnae purgata, A vero ea, qualis nullo hujus aberrationis respectu habito, inventa, intererit inter A' et A differentia aliqua. Sit stella fundamentalis iterum Capella, hae ita pro denis gradibus declinationis provenient quantitates A' — A, si in eadem culminatione stella constituenda cum fundamentali observata est:

|      |              |              |             |
|------|--------------|--------------|-------------|
| si d |              | A' — A       |             |
| 45°  | $\mp 0,0001$ | } in tempore | $\mp 0,001$ |
| 55°  | $\pm 0,0010$ |              | $\pm 0,009$ |
| 65°  | 0,0020       |              | 0,013       |
| 75°  | 0,0029       |              | 0,012       |
| 85°  | 0,0038       |              | 0,003       |

} in partibus circuli maximi pro loco stellae

Si in oppositis culminationibus stella fundamentalis et constituenda observatae sunt, erit

|       |             |              |            |
|-------|-------------|--------------|------------|
| pro d |             | A' — A       |            |
| 45°   | $\mp 0,009$ | } in tempore | $\mp 0,10$ |
| 55°   | 0,008       |              | 0,07       |
| 65°   | 0,007       |              | 0,04       |
| 75°   | 0,006       |              | 0,02       |
| 85°   | 0,005       |              | 0,01       |

} in partibus circuli maximi pro loco stellae

Ita ut priori casu prorsus evanescentes differentiae sint, cum 0'',01 maximus effectus in arcu pro loco stellae sit; secundo casu vero tam exiguae, ut in decli-

natione 45° tantum 0'',1 in arcu attingant, ubi nullae tales sunt observationes, ut de hac quantitate quaestio sit, propius vero ad polum, ubi certiores observationes, haec differentia continuo imminuatur.

Elementa reductionum ex instrumento pro anno 1814.

Distantia filorum a filo medio in tempore siderali.

Ex omnibus observatis stellae polaris bisectionibus inde a 19 Februarii ad 12 Aprilis haec distantia ita constituta:

|        |        |        |        |
|--------|--------|--------|--------|
| 50,558 | 50,613 | 24,694 | 49,878 |
|--------|--------|--------|--------|

Acquieveram ad reductionem in quantibus ex observationibus solius mensis Februarii, quae sunt:

|        |        |        |        |
|--------|--------|--------|--------|
| 50,575 | 25,589 | 24,685 | 49,899 |
|--------|--------|--------|--------|

Cum vero interesset inter motum horologii et tempus siderale, correctio aliqua est adhibenda

|         |         |         |          |
|---------|---------|---------|----------|
| — 0,025 | — 0,013 | — 0,013 | — 0,025; |
|---------|---------|---------|----------|

ita ut ad calculum hae filorum distantiae in tempore horologii adhiberentur:

|        |        |        |        |
|--------|--------|--------|--------|
| 50,550 | 25,576 | 24,672 | 49,874 |
|--------|--------|--------|--------|

Inde correctiones evadunt, pro quavis stella in secantem declinationis ducendae, si

|                                |             |                                 |
|--------------------------------|-------------|---------------------------------|
| ex omnibus filis medium sumtum | $\mp 0,516$ | } + supra polum,<br>— sub polo. |
| et filis I et V                | $\mp 0,388$ |                                 |
| II et IV                       | $\mp 0,452$ |                                 |

Error collimationis fili medii.

Cognoscebatur ex observata stella polari in eadem culminatione ad priora fila situ instrumenti consueto, ad postrema transposita axi, nec non ex  $\beta$  Ursae minoris ita observata. Est ex observationibus 15 E =

|                 |        |                      |
|-----------------|--------|----------------------|
| 1814. 24. Febr. | — 7,30 | ex Polari            |
| — —             | — 6,60 | ex $\beta$ Urs. min. |
| 25. Febr.       | — 7,43 | ex Polari            |

|             |              |                       |
|-------------|--------------|-----------------------|
| 25. Febr.   | — 6,15       | ex $\beta$ Urs. min.  |
| 27. Febr.   | — 8,88       | ex Polari             |
| 7. Apr.     | — 8,49       | } ex Polari.          |
| 8. Apr.     | — 7,10       |                       |
| Sumto medio | — 7,42       | et E = — 0'',495 sive |
|             | quam proxime | E = — 0'',50          |

Si quid incerti inest in hac correctione, quod vero non nisi perexiguum esse potest, ad ascensiones rectas nil prorsus facere probavimus.

Deviatione instrumenti.

Ex solius stellae polaris observationibus ita inventa deviatio:

| 1814         | 15 $\Delta$ = | $\Delta$ = |
|--------------|---------------|------------|
| 20. Januari  | + 26,94       | + 1,796    |
| 1. Februari  | 27,95         | 1,863      |
| 16. —        | 25,70         | 1,713      |
| 19. ad 20. — | 24,69         | 1,640      |
| 22. —        | 24,84         | 1,656      |
| 22. ad 23. — | 23,25         | 1,550      |
| 23. —        | 22,44         | 1,496      |
| 25. —        | 22,77         | 1,518      |
| 26. —        | 21,86         | 1,457      |
| 26. ad 27. — | 21,98         | 1,465      |

Et postquam propius ad polum paulo admotum est instrumentum:

|                  | 15 $\Delta$ = | $\Delta$ = |
|------------------|---------------|------------|
| 7. ad 8. Mart.   | + 16,78       | + 1,119    |
| 8. —             | 16,49         | 1,099      |
| 8. ad 9. —       | 16,62         | 1,108      |
| 9. —             | 16,62         | 1,108      |
| 17. —            | d 19,15       | d 1,277    |
| 19. ad 20. Mart. | 18,47         | 1,231      |

|                |           |           |
|----------------|-----------|-----------|
| 21. ad 22. —   | d + 19,57 | d + 1,305 |
| 22. ad 23. —   | 18,95     | 1,263     |
| 23. ad 24. —   | 18,78     | 1,252     |
| 31. —          | 18,51     | 1,234     |
| 31. ad 1. Apr. | 18,47     | 1,231     |
| 1. Aprilis     | 18,47     | 1,231     |
| 2. —           | 18,52     | 1,235     |
| 20. Novemb.    | 18,15     | 1,210.    |

Quae in hac serie quantitates litera d notatae, eae ideo non satis certae, quod Polaris in altera culminatione uno tantum filo observata est.

Apparet vero ex his exiguas per totum observationum tempus fuisse variationes. A die 20. Januarii ad 27. Febr. usque deviatio a polo 0'',331 in tempore seu 4'',96 in arcu imminuta est. Inde a die 7 mo Martii ad 9 num usque constans fuit, tum per dierum ad 17 num usque spatium, quibus nullae observationes factae erant, 2'' in arcu fere aucta, et jam usque ad diem 2 Aprilis invariabilis stetit. Atque mirum in modum post 7 menses eadem inventa deviatio, postquam ex peregrinatione reversus sum. Ita ut per longum illud tempus eandem fortasse prorsus conditionem instrumenti supponere liceret, ac antea. Id quod eo etiam vindicabatur, quod axis, quae antea prorsus horizontalis fuerat, tum in eodem ad horizontem situ se probavit. Ceterum pro die 20 Nov. non ex ejusdem stellae duabus culminationibus instrumenti deviatio cognoscebatur, sed ex culminationibus  $\delta$  Ursae minoris et  $\alpha$  Lyrae atque Polaris et  $\alpha$  Pegasi cum ascensionibus rectis comparatis, et quidem Polaris et  $\delta$  Ursae minoris ex reductione observationum mearum.

Inclinatio axis ad horizontem.

Quamquam si deviationem instrumenti ad solum coeli polum referas, inclinatio axis nil ad ascensionum rectarum calculum faciat, ne quid mittam, apponam tamen quid de ea observatum sit. Inde ab initio observationum ad diem 27 Februarii ea satis constanter 8'' fuit, quibus occidentalis axis altior erat. Inde ab initio Mart. ad finem observationum vero axis situm horizontalem constanter

tuebatur. Ita certo cognoscebatur ex libella suspensoria, cujus usum longe certiore inveneram, quam impediti illius apparatus penduli. Sed etiam experimentum feci ex horizonte mercuriali, sine tecto vitreo, inclinationem axis cognoscendi, atque hunc in finem bis, die 25 Febr. et 26 Febr., stellam polarem, cum ad priora fila directe observata esset, ad postrema ex horizonte reflexam observavi. Facta ad filum medium reductione, Polaris die 25 ex horizonte prius filum medium attigerat, quam directe, 11",4, die 26. vero 8",9 temporis. Illud pro inclinatione praebuit

$$\frac{11,4 \cdot 15}{2 \cdot (\sin L \tan D - \cos L)} = \frac{171}{56,8} = 3,0$$

hoc vero

$$\frac{8,9 \cdot 15}{56,8} = \frac{133,5}{56,8} = 2,4$$

si L est elevatio poli et D declinatio Polaris. Quae inter se optime conveniunt. Sed longe discrepant a vera inclinatione 8", quamquam ipsae ex horizonte observationes non ultra 3" temporis incertae essent, quod 0",8 inclinationis efficere potest. Sed non difficilis explicatio est ex eo, quod, quamquam vasculum 6 pollices largum erat, mercurium tamen non planum vere horizontale faciebat ex attractione mercurii et ligni. Atque utroque die hoc eodem sensu et vi egisse inde ortum habere videtur, quod apparatus horizontis mercurialis altero die in eundem omnino locum reponeretur, in solo circumscriptum. Cum vero postea die 21 Mart. ex horizonte mercuriali Polarem observarem, inter culminationem directam et reflexam 1",8 in tempore tantum intererat, quod inclinationem axis minorem quam 0",5 praebet, quae ex libella etiam nulla erat. Etiam alibi attractio vasculum inter et fluidum contentum nocens mihi apparuit. Scilicet pondus fili in columna circuli Baumanni in fluidum dependens, nisi totum immergebatur, ad marginem vasculi aliquot minutis secundis ita attrahebatur, ut certo columnae axi situs verticalis conciliari non posset.

### Elementa reductionum ex instrumento pro anno 1815.

Distantia filorum a filo medio in tempore siderali.

Haec distantia reducta ex observationibus Polaris 19 diebus factis:

|   |         |         |         |         |
|---|---------|---------|---------|---------|
|   | 50",603 | 25",637 | 24",683 | 49",887 |
| ex observationum $\alpha$ Persei et $\beta$ Ursae minoris complexu: |         |         |         |         |
|   | 50",633 | 25",658 | 24",662 | 49",893 |
| Sumto medio   | 50,618  | 25,647  | 24,673  | 49,890  |
| Paululo differunt haec ab illis qua praecedenti anno inventa:       |         |         |         |         |
|   | 50",558 | 25",613 | 24",694 | 49",878 |

Sunt differentiae:

$$- 0,060 \quad - 0,034 \quad - 0,021 \quad - 0,012.$$

Sed haec differentiae non observationibus solis adscribendae. Scilicet bissectiones et appulsus non in iisdem filorum punctis observate sunt, priori anno proxime supra filum horizontale, secundo proxime infra. Et maxime necessarium est, ut in eodem cujusvis fili loco observationes fiant, ne, quae in filis esse potest declinatio a linea verticali, noceat, nec inaequalitates minutissimae in filis bombycinis obviae, quae ex adhaerentibus particulis resinosis consistunt. Neque vero conspiciuntur nisi per ocularia, quorum major est vis 152 et 173. — Correctiones itaque erunt sumto medio ex omnibus filis  $\begin{cases} \mp 0,340 \\ \mp 0,364 \\ \mp 0,487 \end{cases}$   $\begin{cases} + \text{ supra polum,} \\ - \text{ sub polo.} \end{cases}$

Error lineae collimationis.

Linea collimationis fili medii per objectum terrestre, distinctum et longe distans correcta est; ita ut certus essem nullum inesse errorem, qui 1" superaret, qui error cum ad ascensiones rectas ne 0",1 quidem in arcu facere posset, nisi minoris declinationis stellae in oppositis culminationibus observatae conferantur, negligendus est. Onisi itaque per observationes Polaris et  $\beta$  Ursae minoris, instrumento transponendo, ejus quantitatem accuratius cognoscere exiguum, sicut anno praecedenti, quo necessarium fuerat, quia longe major inesset in collimatione error. Sed, ne dubium de ejus quantitate existat, juvat per observationes mere astronomicas in eam inquirere. Hunc in finem idoneas elegi ex diario observationes. Scilicet pluries  $\alpha$  et  $\delta$  Cassiopeiae atque  $\epsilon$  Ursae majoris iisdem diebus, quam

Polaris, in utraque culminatione observatae sunt. Unde pro eadem epocha 12 hor — (T —  $\xi$ ) per Polarem, et U —  $\mu$  per conjugatas  $\epsilon$  Ursae majoris et  $\alpha$  Cassiopeiae atque  $\epsilon$  Ursae majoris et  $\delta$  Cassiopeiae accipitur, ita scilicet, ut ex ternis insequentibus observationibus deducerentur, adhibita pro collatione cum intermedia ex extremis interpolatione, ad evitandum influxum, qui ex variationibus in situ instrumenti oriri poterat.

Ita haec ex observationum diario extracta:

|            | per Polarem          | per $\epsilon$ et $\delta$ | per $\epsilon$ et $\alpha$ . |
|------------|----------------------|----------------------------|------------------------------|
| 1815       | 12 h. — (T — $\xi$ ) | U — $\mu$                  |                              |
| 30,5 Mart. | 80,1                 | 7,48                       |                              |
| 9,0 Apr.   | 123,0                | 11,67                      | 10,98                        |
| 11,5 —     | 151,8                | 14,22                      | 13,10                        |
| 12,0 —     | 158,1                | 14,84                      | 13,74                        |
| 12,5 —     | 163,8                | 15,34                      |                              |
| 13,0 —     | 168,9                | 15,75                      |                              |
| 8,9 Maji   | 220,8                | 20,52                      |                              |

Ex his deduci potest instrumenti deviatio, supposito  $E = 0$ , et erit 15  $\Delta =$

|            | per Polarem | per $\epsilon$ et $\delta$ | per $\epsilon$ et $\alpha$ . |
|------------|-------------|----------------------------|------------------------------|
| 30,5 Mart. | + 17,63     | + 17,42                    |                              |
| 9,0 Apr.   | 27,06       | 27,18                      | + 27,51                      |
| 11,5 —     | 33,39       | 33,12                      | 32,82                        |
| 12,0 —     | 34,77       | 34,56                      | 34,37                        |
| 12,5 —     | 36,03       | 35,73                      |                              |
| 13,0 —     | 37,05       | 36,67                      |                              |
| 8,9 Maj.   | 48,57       | 47,79                      |                              |

Quae eodem die proveniunt quantitates 15  $\Delta$  ex Polari et stellis inter 55° et 60° declinationis, cum tam bene congruant, apparet suppositionem  $E = 0$  veritati esse proximam. Atvero ex 7 diebus, 6 aliquot decimis partibus secundae in arcu praebent deviationem minorem ex stellis a polo distantibus quam e Polari. Id aliquo in collimatione errori adscribi potest. Si omnes vero observationum quantitates illas et Polaris et stellarum conjugatarum in duas contrahimus aequationes, haec tales evadent:

$$\begin{array}{l}
 1499,4 - 20 \cdot \text{tang decl Polaris} \cdot \Delta - 20 \cdot \text{sec decl Polaris} \cdot E = 0 \\
 \text{et } 137,64 - 14 \cdot (\text{tang decl } \epsilon \text{ Urs. maj.} \cdot \Delta - 14 \cdot (\text{sec decl } \epsilon \text{ Urs. maj.} \cdot E = 0 \\
 \left. \begin{array}{l} + \text{tang decl } \delta \text{ Cassiop.} \\ - 6 \cdot (\text{tang decl } \epsilon \text{ Urs. maj.} \\ + \text{tang decl } \alpha \text{ Cassiop.}) \end{array} \right\} \left. \begin{array}{l} + \text{sec decl } \delta \text{ Cassiop.} \\ - 6 \cdot (\text{sec decl } \epsilon \text{ Urs. maj.} \\ + \text{sec decl } \alpha \text{ Cassiop.}) \end{array} \right\}
 \end{array}$$

scu

$$\begin{array}{l}
 1499,4 - 682,00 \Delta - 682,32 E = 0 \\
 \text{et } 137,64 - 65,04 \Delta - 74,685 E = 0; \\
 \text{unde } E = - 0,084, \text{ et } 15 E = - 1,26 \text{ accipitur.}
 \end{array}$$

Si hanc pro E quantitatem adhibemus, diversis diebus erant deviationes 15  $\Delta$ :

|            | e Polari | ex conjugatis |         |
|------------|----------|---------------|---------|
| 30,5 Mart. | + 18,89  | + 18,91       | "       |
| 9,0 Apr.   | 28,52    | 28,59         | + 29,05 |
| 11,5 —     | 34,65    | 34,61         | 34,31   |
| 12,0 —     | 36,03    | 36,05         | 35,86   |
| 12,5 —     | 37,29    | 37,22         |         |
| 13,0 —     | 38,31    | 38,16         |         |
| 8,9 Maj.   | 49,83    | 49,28         |         |

Nulla habita E ratione, erit inter utrasque deviationes differentia media 0",369 sine respectu signorum; jam enodato E vero 0",236 in arcu. Ita ut prorsus verisimilius sit  $E = - 0",084$ , quam  $E = 0$ .

Deviatio instrumenti supposito  $E = 0$ .

| 1815.     | 15 $\Delta =$ | $\Delta =$ |
|-----------|---------------|------------|
| 19,0 Jan. | } dubia       |            |
| 20,0 —    |               |            |
| 21,0 —    | - 28,03       | - 1,869    |
| 23,0 —    | 30,25         | 2,017      |
| 23,5 —    | 30,65         | 2,043      |
| 24,0 —    | 31,51         | 2,101      |
| 24,5 —    | 31,93         | 2,129      |

Jam instrumento ad polum propius admoto.

$$26,0 \text{ Jan. } + 10,95 \quad + 0,730$$

|           | $15 \Delta =$ | $\Delta =$ |
|-----------|---------------|------------|
| 5,5 Febr. | + 8,19        | + 0,546    |
| 6,0 —     | 8,47          | 0,565      |
| 7,5 —     | 10,08         | 0,672      |
| 8,0 —     | 10,41         | 0,694      |
| 9,5 —     | 11,65         | 0,777      |
| 10,0 —    | 11,97         | 0,798      |
| 13,0 —    | 13,42         | 0,897      |
| 13,5 —    | 14,01         | 0,934      |
| 18,0 —    | 16,33         | 1,089      |
| 19,0 —    | 15,96         | 1,064      |
| 20,5 —    | 14,60         | 0,973      |
| 21,0 —    | 14,16         | 0,944      |
| 22,0 —    | 13,36         | 0,891      |
| 25,5 —    | 15,61         | 1,041      |
| 27,0 —    | 16,10         | 1,073      |
| 28,0 —    | 16,15         | 1,077      |
| 28,5 —    | 16,21         | 1,081      |
| 1,0 Mart. | 16,15         | 1,077      |
| 1,5 —     | 16,25         | 1,083      |
| 9,0 —     | 19,22         | 1,281      |
| 12,5 —    | 18,42         | 1,228      |
| 16,0 —    | 17,76         | 1,184      |
| 17,5 —    | 17,84         | 1,189      |
| 18,0 —    | 17,91         | 1,194      |
| 18,5 —    | 18,03         | 1,202      |
| 19,0 —    | 17,94         | 1,196      |
| 20,0 —    | 17,85         | 1,190      |
| 20,5 —    | 17,97         | 1,198      |
| 24,0 —    | 18,78         | 1,253      |
| 29,5 —    | 17,39         | 1,159      |
| 30,0 —    | 17,34         | 1,156      |
| 30,5 —    | 17,63         | 1,175      |
| 31,0 —    | 17,94         | 1,196      |
| 1,0 Apr.  | 18,42         | 1,228      |
| 2,0 —     | 18,90         | 1,260      |
| 3,0 —     | 19,40         | 1,293      |
| 3,5 —     | 19,63         | 1,309      |

|          | $15 \Delta =$ | $\Delta =$ |
|----------|---------------|------------|
| 6,0 Apr. | + 23,22       | + 1,548    |
| 6,5 —    | 23,71         | 1,581      |
| 9,0 —    | 27,06         | 1,804      |
| 9,5 —    | 28,09         | 1,873      |
| 11,0 —   | 31,93         | 2,129      |
| 11,5 —   | 33,39         | 2,226      |
| 12,0 —   | 34,77         | 2,318      |
| 13,0 —   | 37,05         | 2,470      |
| 13,5 —   | 38,28         | 2,552      |
| 14,5 —   | 40,92         | 2,728      |
| 15,0 —   | 42,09         | 2,806      |
| 17,5 —   | 48,06         | 3,204      |
| 24,5 —   | 57,64         | 3,843      |
| 25,9 —   | 59,39         | 3,959      |
| 26,4 —   | 59,95         | 3,997      |
| 26,9 —   | 60,47         | 4,031      |
| 27,9 —   | 59,79         | 3,986      |
| 28,9 —   | 59,97         | 3,998      |
| 6,4 Maji | 48,78         | 3,252      |
| 8,4 —    | 48,61         | 3,241      |
| 8,9 —    | 48,57         | 3,238      |
| 9,4 —    | 48,52         | 3,235      |

In hoc schemate deviatio instrumenti ex observationibus stellae polaris deducta obvia est, iis tantum diebus aliarum stellarum observationibus in auxilium vocatis, quibus, quod rarissime locum habebat, Polarem observare aut non liceret prorsus, aut non satis tuto. Atque prae ceteris tum  $\delta$  Ursae minoris adhibita, polo etiam proxima. Semper vero ad calculum ea lex obtinuit, ut ex tribus culminationibus insequentibus, duabus superioribus et media inferiori, seu duabus inferioribus et media superiori, deviatio pro tempore observationis mediae deduceretur, ne variatio in situ instrumenti, quam progressivam regulariter esse non apparuit, neque ipsius stellae per 12 horas exigua differentia in ascensione recta calculum deviationis afficeret. Exemplo rem illustrabo. Observata Polaris

|           |             |                       |
|-----------|-------------|-----------------------|
| 1815.     | supra polum | sub polo              |
| 23,0 Jan. | o. 56' 47,4 | 23,5 Jan. o. 54' 26,7 |
| 24,0 —    | 51,6        | 24,5 — 24,0           |

Medium ex duabus culminationibus

|                    |                       |             |                        |
|--------------------|-----------------------|-------------|------------------------|
| supra polum        | 23,5 Jan. o. 56' 49,5 | sub polo    | 24,0 Jan. o. 54' 25,35 |
| observata sub polo | 23,5 — 54 26,7        | supra polum | 24,0 — 56 51,6         |
|                    | differentia 142,8     |             | 146,25                 |

unde pro 23,5 Jan.

pro 24,0 Jan.

Deviatio:

$$15 \Delta = - 31,23$$

$$- 32,04$$

Ex plurium vero stellarum complexu, cum non sine nota stellae Polaris observationes essent, est:

$$- 30,65$$

et

$$- 31,51$$

Et singulae, quamquam observationes, propter aeris motum, non ex optimis, bene conveniunt. Nam

$$15 \Delta =$$

|                   |           |           |
|-------------------|-----------|-----------|
|                   | 23,5 Jan. | 24,0 Jan. |
| ex Polari         | - 31,23   | - 32,04   |
| Camelop. 216      | 30,34     | 31,53     |
| Camelop. 219      | 30,34     | 31,50     |
| Rangif. 15        | 31,30     | 31,44     |
| Rangif. 16        | 30,70     | 31,29     |
| Urs. min. 20      | 29,85     | 30,98     |
| Urs. min. 21      | 30,63     | 31,22     |
| Rangif. 23        | 30,34     |           |
| 5 Urs. min. A     | 30,55     |           |
| $\beta$ Urs. min. | 31,54     | 31,98     |
| Camelop. 223      | 29,79     | 30,86     |
| Cephei 323        | 30,03     | 30,79     |
| $\alpha$ Persei   | 31,20     | 31,06     |

Quod si schema illud deviationum anni 1815 accuratius inspicimus, plura ante oculos sunt, notatu sane digna. Apparet enim:

1) in universum per totum observationum tempus instrumentum tractum aliquem ad occidentem habuisse, quo a polo longius discederet, ita ut, cum initio Februarii deviatio a polo esset 8'', exeunte mense Aprili 60'' fere esset. Inde vero in pristinum statum paulatim regredi orsum est, ita ut die 9 Maji, quo observationes clauderentur, 12'' jam propius ad polum accessisset.

2) Regularitas aliqua eximia est in hoc motu, si in diversa spatia totam observationum seriem dividimus. Initio observationum a 21 Jan. ad 24,5 motus medius diurnus est — 1'',11; atque etiam decrevit cum a 5,5 Febr. ad 18,0 ejusdem mensis sit — 0'',651; et a 18,0 Febr. ad 1,5 Mart. per 11,5 dies nullus est, quamquam initio paululo diminuuntur deviationes mox vero similiter augentur. Idem est cum spatio a 9 Martii ad 3,5 Aprilis per 25,5 dies, ubi, ut medius est nullus motus, ita tamen variationes quaedam sunt, quarum summa vero 2'' non excedit. Jam vero major hic motus evadit inde a 3,5 Aprilis, initio lentior ad 9,0 Aprilis usque, cum — 1'',34 motus sit diurnus, tum vero celerior — 2'',48 quotidie ad 17,5 Aprilis usque, maximeque regularis; atque iterum diminuitur in quotidianum — 1'',31 pro spatio usque ad 26,9 Aprilis. Jam nullus est, et mox retrogradum fuisse apparet. — Maxime memorabilis vero est regularitas motus in quovis spatio supra constituto, quae luculenter apparet, si ex prima et postrema cujusvis spatii deviatione intermedias calculo interpolatorio subducimus, et conferimus cum observatis.

|           |             |                 |
|-----------|-------------|-----------------|
|           | Deviaciones |                 |
|           | ex calculo  | ex observatione |
|           |             | extremae        |
| 21,0 Jan. |             | - 28,03         |
| 23,0 —    | - 30,25     | - 30,25         |
| 23,5 —    | 30,64       | 30,81           |
| 24,0 —    | 31,51       | 31,37           |
| 24,5 —    |             | 31,93           |

Ex postquam instrumenti situs mutatus est, quo propius ad polum accederet:

...

|           | ex calculo | ex observatione |
|-----------|------------|-----------------|
|           |            | extremae        |
| 5,3 Febr. |            | + 8,19          |
| 6,0 —     | + 8,47     | + 8,52          |
| 7,5 —     | 10,08      | 9,49            |
| 8,0 —     | 10,41      | 9,82            |
| 9,5 —     | 11,65      | 10,79           |
| 10,0 —    | 11,97      | 11,12           |
| 13,0 —    | 13,42      | 13,07           |
| 13,5 —    | 14,01      | 13,33           |
| 18,0 —    |            | + 16,33         |
| 3,5 Apr.  |            | + 19,63         |
| 6,0 —     | + 23,21    | + 22,98         |
| 6,5 —     | 23,71      | 23,65           |
| 9,0 —     |            | + 27,01         |
| 9,0 Apr.  |            | + 27,01         |
| 9,5 —     | + 28,09    | + 28,25         |
| 11,0 —    | 31,93      | 31,96           |
| 11,5 —    | 33,33      | 33,20           |
| 12,0 —    | 34,77      | 34,44           |
| 13,0 —    | 37,08      | 36,91           |
| 13,5 —    | 38,28      | 38,15           |
| 14,5 —    | 40,92      | 40,63           |
| 15,0 —    | 42,09      | 41,87           |
| 17,5 —    |            | + 48,06         |
| 17,5 Apr. |            | + 48,06         |
| 24,5 —    | + 57,64    | + 57,21         |
| 25,9 —    | 59,39      | 59,17           |
| 26,4 —    | 59,95      | 59,82           |
| 26,9 —    |            | + 60,47         |

In spatio a 5 Febr. ad 18 Febr. maxima inter observationes et calculum occurrit differentia 0",86. In ceteris spatiis sunt maximae 0",43 et 0",33, reliquae 0",3 non attingunt. Quenam physica causa hujus motus per abrupta spatia tam

egregie regularis fuerit, omnino me latuit. Mirum sane anno 1814 nil simile locum habuisse, unde est, cur hoc phaenomenon anni tempestatibus, per caloris vices agentibus, non adscribi possit.

Quod ad primos anni hujus observationum dies 19 et 20 Januarii attinet, nimis variabilis situs instrumenti erat, quam ut utile aliquid ex observationibus deduceretur. Nam si pro tribus culminationibus Polaris, ex collatione cum ascensione reta anno praecedenti constituta, deducitur deviatio, est  $15 \Delta =$

|           |       |
|-----------|-------|
| 19,0 Jan. | 29,24 |
| 19,5 —    | 34,75 |
| 20,0 —    | 38,35 |

Quod cum inter observationes appareret, statim in omnia inquisivi, et cum viderem, axem per observationum spatium inclinasse, eam in justum ad horizontem situm reduxi, et omnes cochleas fortius fixi.

Inclinatio axis ad horizontem.

Quod ad hanc attinet, quia ad ascensiones rectas nil faceret, si instrumenti situs ad polum relatum est, prorsus a me neglecta est, neque inde a 21 Januarii, quo die axis justam ad horizontem situm habebat, amplius inclinationis observationem cum libella curavi. Cujus rei gravis causa fuit, ne quid alieni in simplicissimum reductionum genus immisceretur. Scilicet non tempus ex his observationibus tubo culminatorio factis erat constituendum, non ascensiones rectae Lunae, sed fixarum stellarum.

Italiae astronomis nuperrime debemus cognitionem accuratorem motus aliquis periodici diurni, quem instrumenta, quae fixa esse debent, praesertim coelo sereno, sequantur, ita ut difficillimum sit, nisi quavis hora secundum signum terrestre longe distans et ad libellam instrumenta corrigantur, iustas observationibus applicare correctiones. Verum enim vero hic motus instrumentorum periodice diurnus non in omnibus speculis locum habet, sed in iis solum, ut mihi videtur, quales nullae esse debent, quae in altis turribus constructae sunt, quarum pariter per vices radiis Solis expositae expanduntur et contrahuntur secundum po-

sitionem Solis in coelo. Ita Manheimi esse ipse vidi, cum anno 1815 aliquot dies ibi cum cel. Schumacher versarer. Hanc etiam causam esse, cur astronomus ille Sículus aliquam stellae polaris parallaxin invenerit, non sine jure suspicati sunt astronomi. In hujus vero Dorpatensis speculae tubo culminatorio nullum utique vestigium talis periodici motus diurni fuit. Inspiciat aliquis in reductarum ascensionum catalogum, qui ex deviationibus ex unius Polaris observationibus deductis pendet. Videbit accuratissime ascensiones rectas stellae  $\delta$  Ursae minoris ex superioribus culminationibus et inferioribus inter se convenire, quamvis proxime 6 horae intersunt inter tempus culminantis Polaris et  $\delta$  Ursae minoris. Idem videbit in omnibus sine exceptione stellis utrimque a polo observatis. Quod quidem nullo modo locum habere posset, si aliquis instrumenti fuisset motus periodicus, qui ut in altera culminatione ascensiones auget, in altera diminueret. Licet praeterea pluribus diebus ex aliis stellis quam Polari pro diversis horis deviationem cognoscere, quae semper convenit, cum ea, quam offert Polaris. Ad hanc inquisitionem maxime idonea est stella  $\delta$  Ursae minoris, quae mense Martio, cum Polaris horis meridiei et mediae noctis ad culmen pervenit, contra horis 6 et 18 prope Solis occasum et ortum observatur. Nam, si quae sunt variationes diurnae, his temporibus maxima eorum apparere necesse est. Deduxi itaque ex ternis  $\delta$  Ursae minoris observationibus deviationes et contuli cum deviationibus e Polari.

| 15 $\Delta$ =          |          |                  |             |
|------------------------|----------|------------------|-------------|
| 1814                   | e Polari | ex $\delta$ Urs. | differentia |
| 24 Mart.               | + 18,78  | + 18,50          | - 0,28      |
| 31 —                   | 18,51    | 19,25            | + 0,74      |
| 1 Apr.                 | 18,47    | 17,75            | - 0,72      |
| 2 —                    | 18,50    | 18,88            | + 0,38      |
| 1815                   |          |                  |             |
| 21 $\frac{1}{2}$ Febr. | 13,56    | 14,09            | + 0,53      |
| 18 $\frac{1}{2}$ Mart. | 18,38    | 17,85            | - 0,53      |
| 31 —                   | 17,36    | 17,94            | - 0,58      |
| differentia media      |          |                  | + 0,07      |

Etiam ex observationibus  $\beta$  Ursae minoris et  $\alpha$  Persei, proxime in AR oppositarum, hora III et XV culminantium deviationes cum fundamentalibus ex Polari contuli:

| 1815     |        | 15 $\Delta$ = |                    |                            |
|----------|--------|---------------|--------------------|----------------------------|
|          |        | e Polari      | ex $\beta$ Urs. et | $\alpha$ Pers. differentia |
| 23 Jan.  | 15 hor | - 30,89       | - 31,34            | - 0,45                     |
| 24 —     | 3 —    | - 31,58       | - 31,75            | - 0,17                     |
| 19 Febr. | 15 —   | + 15,35       | + 16,10            | + 0,75                     |
| 25 —     | — —    | + 15,64       | + 15,56            | - 0,18                     |
| 1 Apr.   | — —    | + 18,70       | + 17,94            | - 0,76                     |
| 11 —     | — —    | + 33,63       | + 32,89            | - 0,74                     |
|          |        |               | differentia media  | - 0,31                     |

Restat ut exponam, quomodo ipsarum observationum schema dispositum sit.

Columna prima verticalis continet numeros continuos seriei observationum pro quovis anno ab 1 ordientes.

Jam veniunt quinque columnae observationes ad quinque fila verticalia continentes. Apparet in culminationibus inferioribus filum I idem esse, quod V in superioribus. Quod si littera (d.) apposita observationi, eam non pro omnino tuta a me habitam esse vult.

Columna septima continet nomen stellarum et quidem litteras usitatiores Graecas, seu numeros Flamsteadii, qui nomen praecedunt, seu ex cel. Bode Uranographia, si nomen insequuntur, atque magnitudinem apparentem numero parenthesis clauso, nec non distantiam a vertice seu borealem (B) seu australem (A). Utraque vero, et magnitudo et distantia a vertice in iis tantum stellis data, quae vel alibi non occurrunt, seu quae aliam magnitudinem habere videbantur, quam in catalogis cel. Piazzii et Uranographia, seu quarum distantiam a vertice aliam observavi, quam quae ex declinationibus Uranographiae sequitur. — Littera vero (s) nomen praecedens stellae culminationem sub polo observatam esse vult.

Postrema columna continet medium ex omnibus filis observatis ad filum tertium reductis. Quae reductio quomodo sit instituta, accuratius est exponendum.

Si stella, quae per instrumentum transit, a filo aliquo ad medium seu vice versa migrat, via quam describit, nisi stella nimis propinqua ad polum, pro linea recta potest haberi; id quod eo apparet, quod motus ejus parallelus filo horizontali

in instrumento. Sed si stella polo vicina, pars circuli paralleli, quam in instrumento describit, major est, quam ut pro linea recta habeatur, seu sinus ejus ipsi arcui aequalis possit poni; et in ipso instrumento stella parallelismum cum filo horizontali non tueri videtur. Priori casu tempus reductionis R a filo ad medium, si distantia eorum est 15 J, erit  $R = J \sec D$ , (A); secundo casu:

$$R' = \frac{\text{Arc sin } (15 J \sec D)}{15}; \text{ (B)}$$

R' est major quam R, et differentia,

$$\begin{aligned} (R' - R) &= \frac{\text{Arc sin } (15 J \sec D)}{15} - J \sec D \\ &= \frac{15 J \sec D + \frac{1}{2} (15 J \sec D)^2 + \dots}{15} - J \sec D \\ &= \frac{1}{30} (15 J \sec D)^3 \end{aligned}$$

neglectis potentiis altioribus.

Pro filis extremis est J proxime = 50'', et 15 J = 12' 30'' = 0,003636 et

$$(R' - R) = \frac{(0,003636 \cdot \sec D)^3}{90 \cdot \text{arc. } 1''} = 0'',0001102 \sec D^3;$$

id quod pro regione stellae in partibus circuli maximi

$$\frac{15 (R' - R)}{\sec D} = 0'',001653 \sec D^2 \text{ efficit.}$$

Si reductio ad 0'',05 circuli maximi in regione stellae certa esse debet, aequatio

$$0'',001653 \sec D^2 = 0'',05$$

maximum declinationis praebebit, qua licet R ex formula (A) ratiocinari: est

$$\sec D = \sqrt{\left(\frac{0,05}{0,001653}\right)} = 5,500; D = 79^\circ 32'.$$

Pro filis intermediis II et IV est quam proxime J = 25'', et simili calculo

$$\begin{aligned} (R' - R) &= 0'',0000138 \sec D^3 \\ \frac{15 (R' - R)}{\sec D} &= 0'',000207 \sec D^2; \end{aligned}$$

et, si hoc = 0'',05 ponitur,  $\sec D = 15,56$  seu  $D = 86^\circ 19'$ .

Apparet itaque, si singula fila I et V ad medium sunt reducenda, formula secunda opus esse, si D est  $\geq 79^\circ 32'$ ; et pro filis II et IV, si D  $\geq 86^\circ 19'$ . Quae lex semper obtinuit in reducendis observationibus, et eo gravior est, cum error in tempore ratione cubica distantiae stellae a polo, et in spatio ratione ejusdem quadrata augeatur. Est enim proxime  $\sec D : \sec d = (90^\circ - D) : (90^\circ - d)$  si D et d non longe a 90° absunt. Si ex binis I et V seu II et IV reductio ad

filum medium est instituenda, sumtis ex ipsis mediis satis erit correctiones ex non aequali a filo III distantia in secantem declinationis ductas applicare. — Medio pro filo III ita invento, cum ex duabus observationibus pendeat, pretium duplex est attribuendum.

Alterum magni momenti ad reductionem stellarum polo vicinarum est, opus esse, ut declinatio non ad minutas primas tantum nota sit, sed quam accuratissime. Quod si enim pro justa declinatione ( $D \mp d$ ) adhibetur declinatio D, quae  $d'' < 60''$  vera minor est seu major, error reductionis in tempore erit pro filis extremis:

$$e = 50'' \left( \sec (D \mp d) - \sec D \right) = 50'' \frac{\cos D - (\cos D \cos d \pm \sin D \sin d)}{\cos (D \mp d) \cos D},$$

et, cum  $\cos d = 1$ ,

$$e = 50'' \frac{\mp \sin D \sin d}{\cos (D \mp d) \cos D}$$

seu, cum  $\cos (D \mp d)$  in denominatore satis accurate =  $\cos D$ ,

$$e = \mp 50'' \frac{\sin D \sin d}{\cos D^2};$$

et in spatio pro loco stellae:

$$e' = 750'' \sin d \tan D.$$

Qui error si 0'',05 non excedere debet, maximum pro d deducitur ex aequatione

$$750'' \sin d \tan D = 0'',05$$

seu  $d = \frac{1}{15000} \cot D$ , seu, si P est distantia stellae a polo,  $d = \frac{1}{15000} \tan P = \frac{1}{15000} P$ , si P est intra paucos gradus; seu proxime  $d = (\frac{1}{2} P)''$  si P est in gradibus. Si itaque reductio ex singulis filis extremis ad 0'',05 esse debet certa pro loco stella, opus est ut pro filis extremis distantia stellae a polo ad  $\frac{1}{15000}$  sit certa, seu pro filis II et IV ad  $\frac{1}{7500}$ , seu ad  $(\frac{1}{2} P)''$  et  $(\frac{1}{2} P)''$ . Maxime itaque necessarium est, ut ad hunc calculum praecessionis, aberrationis et nutationis in declinationem effectus respiciatur pro quovis die, quo stella aliqua observata. Quod quidem incommodum eo vitatur, si non singula fila sed bina correspondentia observantur; quae methodus imprimis tuenda in stellis quarum declinationes non constitutae, sed ex distantis a vertice ad minutas primas tantum cognoscuntur. — Pro his stellis vero si non filum medium et correspondentia fila sunt observata, in adnotationibus expositum, quamvis supposita declinatione reductio sit instituta

et quot secundis seu partibus medium mutandum, si declinatio 1' mutetur. — Ad stellae Polaris exempli gratia observationes ad filum medium reducendas pro anno 1815, ex tabulis auxiliaribus cel. Bessel declinationem Polaris pro 0 Jan., 30 Jan., 1 Mart., 31 Mart., 30 Apr. et 10 Maj. deduxi, et convenientes reductiones filorum calculo rigoroso, indeque pro decimo quoque die interpolatorio calculo inveni. Unde hoc schema

| 1815    | I          | II         | IV        | V          |
|---------|------------|------------|-----------|------------|
| 0 Jan.  | + 28' 56,3 | + 14' 58,0 | - 14' 4,5 | - 28' 31,2 |
| 10 —    | 56,3       | 38,0       | 4,5       | 31,2       |
| 20 —    | 56,3       | 38,0       | 4,5       | 31,2       |
| 30 —    | 56,2       | 37,9       | 4,4       | 31,1       |
| 9 Febr. | 55,7       | 37,7       | 4,2       | 30,6       |
| 19 —    | 55,2       | 37,4       | 4,0       | 30,1       |
| 1 Mart. | 54,6       | 37,1       | 3,7       | 29,5       |
| 11 —    | 53,8       | 36,7       | 3,3       | 28,7       |
| 21 —    | 53,0       | 36,3       | 2,9       | 27,9       |
| 31 —    | 52,1       | 35,9       | 2,5       | 27,1       |
| 10 Apr. | 51,2       | 35,5       | 2,1       | 26,3       |
| 20 —    | 50,4       | 35,1       | 1,7       | 25,5       |
| 30 —    | 49,6       | 34,7       | 1,4       | 24,7       |
| 10 Maj. | 48,9       | 34,3       | 1,0       | 24,0       |

Alterum schema ad reductionem pro anno 1814 erat.

Simile schema construxi pro aliis stellis polo proximis, quod eo magis necessarium erat, quod non in omnibus licuisset seu omnia fila observare, seu aequae a medio distantia, seu solum medium, sed saepius singula tantum fila seu non correspondentia, propter motum lentum stellarum, et plurium concursu, nec non aeris vicissitudinem.

In stellis, quarum declinationes ex catalogo cel. Piazzii depromsi, de declinationibus satis tutus eram, id quod ex harmonia inter reductiones calculatas atque observatas apparebat. Aliter erat cum declinationibus, quas solum ex Uranographia capere poteram, cum non omnes satis tutae invenirentur. Scilicet quae cum illis filorum reductiones inveniebantur, eae ab observatis saepius discrepabant, et eo ipso indicio erant, declinationes illas correctionibus egere, quae correctiones si stella satis

proxima polo, non sine egregio certitudinis gradu cognosci poterant. Rem ita tractavi. Supposita declinatione media ex Uranographia, et adhibito calculo ad declinationes inde apparentes D cognoscendas, filorum intervalla x, quae his declinationibus conveniunt, comparantur intervallis ex observationibus x'; et si (x' - x) = e positivum evadit, declinatio vera (D + d) supposita D major est. Correctio declinationis d ita calculatur ex formula

$$\frac{J \sin D \sin d}{\cos (D + d) \cos D} = e;$$

unde cum proxime  $J : \cos (D + d) = x'$ ,

$$\sin d = \frac{e}{x'} \cotang D$$

Exemplum luculentissimum est stella Ursae minoris 4. Ex Uranographia est ad 1815 decl. media 89° 5' 13",4, unde deducta haec:

| Filorum intervalla |               |            |            |            |            |
|--------------------|---------------|------------|------------|------------|------------|
| 1815               | Decl. apprens | I          | II         | IV         | V          |
| 8 Febr.            | 89° 5' 25,5   | + 53' 58,0 | + 26' 59,6 | - 25' 57,4 | - 52' 50,8 |
| 30 Mart.           | 31,0          | 43,6       | 62,3       | 60,1       | 56,3       |

Jam haec sunt:

| 1815    | inter fila | x' =     | x =      | e =    | d =    | Decl. apprens | Decl. med. ad initium 1815 |
|---------|------------|----------|----------|--------|--------|---------------|----------------------------|
| 9 Febr. | II ad IV   | 51' 43,5 | 52' 57,0 | - 73,5 | - 77,6 | 89° 4' 8,0    | 89° 3' 56,2                |
| 21 —    | — —        | 42       | 58,4     | - 76,4 | - 80,6 | 6,3           | 53,1                       |
| 27 —    | — —        | 45       | 59,0     | - 74,0 | - 78,1 | 9,5           | 55,9                       |
| 1 Mart. | — —        | 44       | 59,3     | - 75,0 | - 79,1 | 8,7           | 54,9                       |
| 18 —    | III ad V   | 51' 42,5 | 52' 55,0 | - 72,5 | - 76,9 | 12,8          | 57,3                       |
| 19 —    | — —        | 48       | 55,1     | - 67,1 | - 70,9 | 18,9          | 63,3                       |
| 20 —    | — —        | 42       | 55,2     | - 73,2 | - 77,4 | 12,5          | 56,8                       |
|         |            |          |          | medium | - 77,2 |               | 89° 3' 56,8                |

Quae ita hujus stellae est inventa declinatio 89° 3' 56",8 ad initium 1815, eam ad 1" seu 2" certam esse crediderim, cum, excepto uno die 19 Martii, observationes egregie inter se conveniant.

Eadem via plurium stellarum polo proximarum declinationes constitui, quas hic occasione oblata recensebo.

|                 | Decl. med. 1815<br>ex Uranographia | Correctio<br>inventa | Decl. med. 1815<br>correcta |
|-----------------|------------------------------------|----------------------|-----------------------------|
| Ursae min. 1    | 88° 1' 39,2                        | — 11"                | 88° 1' 28,2                 |
| φ Ursae min. 57 | 87 54 23                           | + 19                 | 87 54 42                    |
| Camelop. 64     | 85 2 23,6                          | + 1' 17,2            | 85 3 41                     |
| Ursae min. 5    | 87 32 36                           | — 4 54               | 87 27 42                    |
| Ursae min. 6    | 88 43 11,0                         | + 19,0               | 88 43 30,0                  |
| Ursae min. 12   | 88 38 10                           | + 2,5                | 88 38 12,5                  |

Ursae minoris declinatio ex novissimo catalogo cel. Piazzii ad 1815 reducta est 88° 1' 29",3, quae 1",1 differt; Ursae minoris 6 declinatio media ad 1815 ex novissimis cel. Bessel observationibus et reductione (vide Introd. ad Obs. Reg. p. XXVII) 88° 43' 31",2 quae 1",2 differt ab ea, quam supra inveni.

Pro stellis a polo intra gradum distantibus, haec methodus declinationis constituendae maximam praecisionem offerre videtur, si fila extrema observantur; et spero aliquando seriem continuam talium observationum stellarum intra gradum polo proximarum, quae ad ascensiones rectas et declinationes aequae certo valeant, instituturum. Stellae quae, ad has observationes idoneae, praeter Ursae minoris 4, sunt hae:

|              | AR med.        | Decl. 1815 |
|--------------|----------------|------------|
| 9 nae magnit | 1 hor 14' 54,6 | 89° 17,5   |
| 9—10 —       | 13 24' 1       | 89° 20,5   |
| 9—10 —       | 13 34' 26      | 89° 39,5   |

Stellae hae pro egregia tubi vi optica satis splendent, ut, filis illuminatis, conspiciantur.

| 1844<br>20.<br>Jan.       | I.      | II.     | III.        | IV.     | V.      | N. d. m. e. n.               | Medium pro filo<br>III. |
|---------------------------|---------|---------|-------------|---------|---------|------------------------------|-------------------------|
| 20. J a n u a r. 1 8 1 4. |         |         |             |         |         |                              |                         |
| 1                         |         | 31' 24" | oh. 45' 55" | 59' 44" | 14' 4"  | Polaris . . . . .            | oh. 45' 51,6            |
| 2                         |         |         | 36 38,0     | 26,8    | 16,6    | γ Cassiopeiae . . . . .      | 36 37,92                |
| 3                         | 7,3     | 55,6    | 1h. 4 45,5  | 33,6    |         | δ Cassiopeiae . . . . .      | 1h. 4 45,64             |
| 4                         |         |         | 7 30,1      | 15,3    |         | ε Urs. maj. . . . .          | 7 29,87                 |
| 5                         |         |         | 17 39,0     | 15,6    | 53,3    | ζ Persei . . . . .           | 17 39,09                |
| 6                         | 46,0    | 24,6    | 23 4,6      | 42,4    | 21,5    | φ Persei . . . . .           | 23 4,36                 |
| 7                         | 14,2    | 49,6    | d. 27 25,5  | 1,2     | 37,4    | Andromed. 234 . . . . .      | 27 26,17                |
| 8                         | 57,1    | 35,7    | 31          | 54,5    | 33,4    | η Urs. maj. . . . .          | 31 14,57                |
| 9                         | 35 21,6 | 35,4    | 37 50,5     | 2,0     | 40 15,0 | 48 Cassiopeiae . . . . .     | 37 49,96                |
| 10                        |         |         | 47 42,5     | 8,7     | 35,4    | θ Arietis . . . . .          | d. 47 42,02             |
| 11                        |         |         |             | 24,2    | 52 23,5 | ι Draconis . . . . .         | 50 22,89                |
| 12                        |         | 45,2    | 2h. 9 50,0  |         |         | Cassiop. 158 . . . . .       | 2h. 9 49,76             |
| 13                        |         | 39,8    | 11 44,5     | 46,7    | 50,3    | Cassiop. 159 . . . . .       | 11 44,48                |
| 14                        | 40,6    | 21,4    | 32 2,6      | 42,8    | 22,8    | κ Persei . . . . .           | 32 2,56                 |
| 15                        | 9,0     | 40 45   |             | 43 58,3 | 35,0    | λ Urs. min. . . . .          | 42 20,30                |
| 16                        |         |         | 42 18,0     |         |         | μ Persei . . . . .           | 42 18,0                 |
| 17                        |         |         | 47 43,0     | 27,6    |         | ν Persei . . . . .           | 47 43,25                |
| 18                        |         | 57 3,0  | 58 7,0      | 59 10,4 |         | Custos. mess. (7) . . . . .  | 58 7,45                 |
| 19                        |         |         | 1 57,7      | 36,0    | 13,8    | ξ Persei . . . . .           | 3h. 1 57,51             |
| 20                        |         |         | 4 57,0      |         | 6 34,5  | Camelop. 1 . . . . .         | 4 56,97                 |
| 21                        |         |         |             |         | 6 10,0  | praeced. 20 . . . . .        | 4 32,41                 |
| 22                        | 38,8    | 16,8    | 9 53,7      | 30,4    | 7,0     | Prope σ Persei (6) . . . . . | 9 53,80                 |
| 23                        |         |         |             | 11 40,5 | 17,6    | Sequitur 22 A . . . . .      | 11 43,0                 |
| 24                        |         |         | 14 9,8      | 46,5    | 23,4    | π Persei . . . . .           | 14 9,85                 |
| 25                        | 20,0    | 56,4    | 20 33,7     | 10,0    | 46,6    | ρ Persei . . . . .           | 20 33,80                |
| 26                        | 17,8    | 19,3    | 4h. 26 22,3 | 22,3    | d. 25,4 | σ Camelop. . . . .           | 4h. 26 22,14            |
| 27                        | 39      |         | 26 44       |         |         | Seq. 26 B. (8) . . . . .     | 26 43,80                |
| 28                        |         |         |             | 33 49,4 | 32,0    | 7 Camelop. . . . .           | 33 8,20                 |
| 29                        | 57,0    | 47,1    | 37 38,0     | d. 27,0 | 18,45   | 10 Camelop. . . . .          | 37 38,34                |
| 30                        |         |         | 40 44,0     | 31,2    | 19,5    | 11 Camelop. . . . .          | 40 43,82                |
| 31                        | 28,1    | 3,1     | 53 40,0     | 15,4    |         | Capella . . . . .            | 53 39,97                |
| 32                        | 28,4    | 53,8    | 56 19,7     | 41,55   | 10,0    | β Orionis . . . . .          | 56 19,63                |
| 33                        | 17,0    | 44,7    | 5h. 5 14,25 | 42,4    | 10,65   | β Tauri . . . . .            | 5h. 5 14,19             |
| 34                        | 33,0    | 13,6    | d. 16 54,0  | 36,3    | 17,1    | γ Draconis . . . . .         | 16 54,33                |
| 35                        | 59,6    | 44,3    | 21 29,8     | 13,55   | 57,0    | 26 Camelop. . . . .          | 21 29,42                |
| 36                        | 16,55   | d. 6,0  | 28 56,6     | 45,5    | 35,7    | 31 Camelop. . . . .          | 28 56,65                |
| 37                        | d. 23,5 | 7,0     | 34 50,8     |         |         | δ Aurigae . . . . .          | 34 50,81                |
| 38                        | 19,7    | 55,3    | 36 31,2     |         |         | β Aurigae . . . . .          | 36 31,22                |
| 39                        | 34,9    | 15,35   | 42 54,8     | 36,0    | d. 15,7 | γ Draconis . . . . .         | 42 54,88                |
| 40                        |         |         |             | 59 5,5  | 17,5    | Camelop 115 . . . . .        | 48 55,80                |
| 41                        |         | 58,5    | 53 48,0     |         | 55 25,3 | 2 Lyncis . . . . .           | 53 48,16                |
| 42                        |         | 29,6    | 6h. 1 9,7   | 47,6    | 26,0    | 46 Aurigae . . . . .         | 6h. 1 9,51              |
| 43                        | 6,65    | 45,0    | 7 22,4      | 1,6     | 39,5    | δ Draconis 168 . . . . .     | 7 22,52                 |

Adnotationes.

- 22. Praecedebant duae stellae paulo lucidiores, quarum altera σ Persei.
- 29. Est duplex. Comae subtilis Austr. praec. Distantia taxata 55".
- 30. Est duplex. Comae ejusdem ferme ascensionis rectae ad Austrum. Distantia circiter 75".

| 1814<br>20.<br>Jan. | I.    | II.     | III.         | IV.     | V.      | Nomen           | Medium pro filo<br>III. |
|---------------------|-------|---------|--------------|---------|---------|-----------------|-------------------------|
| 44                  | 10,4  | 59,2    | 11 46,41     | 35,8    | 23,7    | 39 Draconis     | 11' 46,46               |
| 45                  | 8,3   | 40,6    | 21 12,0      | d. 45,0 | 16,5    | α Lyrae         | 21 11,90                |
| 46                  | 40,3  | 6,0     | 27 32,9      | 58,7    | 24,6    | Sirius          | 27 32,84                |
| 47                  | 48,3  | 41,4    | 12h. 12 34,0 | 28,5    | 21,2    | α Cassiop.      | 12h. 12 34,00           |
| 48                  | 17 50 | 34' 16" | 46 11,5      | 48      | 15,4    | β Polaris       | 46 12,2                 |
| 49                  | 11,4  | 56,2    | 27 43,4      |         |         | γ Cassiop.      |                         |
| 50                  | 25,5  | 8,0     | 49 50,5      | 33,7    | 16,3    | δ Cassiop.      | 49 50,29                |
| 51                  |       | 55,1    | 13h. 3 43,35 | 33,3    |         | ε Cassiop.      | 13h. 3 43,30            |
| 52                  | 43,4  | 22,1    | 22 0,2       | 40,0    | 18,7    | ζ Persei        | 22 0,36                 |
| 53                  | 11,4  | 47,4    | d. 26 21,6   | 58,4    | 33,6    | Andromed. 234   | 26 22,11                |
| 54                  |       | 24,4    | 30 4,4       | 45,0    | 21,8    | η Urs. maj.     | 30 4,29                 |
| 55                  | 46,5  |         | 37 22        |         | 40 55,5 | Urs. min. (5-6) | 37 22,21                |
| 56                  |       | 9,5     | 49 10,6      | 9,8     | 9,3     | α Dracon.       | 49 10,60                |
| 57                  | 10,0  |         |              | 57 27,5 | 54,8    | Arcturus        | 57 1,44                 |
| 58                  |       |         |              | 38,3    | 13,5    | β Urs. min.     | 14h. 41 3,42            |
| 59                  | 49,4  | 25,0    | 14h. 41 3,3  |         |         |                 |                         |

28. Januarii.

|    |      |         |             |         |         |                    |              |
|----|------|---------|-------------|---------|---------|--------------------|--------------|
| 60 |      |         | 8h. 16 31,5 | 7,7     | 42,85   | α Cygni            | 8h. 16 31,64 |
| 61 | 48,3 | 41,5    | 55 53,6     | 28,3    | 20,85   | α Cephei           | 55 53,78     |
| 62 |      | 28,0    | 59 54,1     | 18,8    | 44,3    | α Hydrae           | 59 53,97     |
| 63 | 15,2 | d. 27,5 | 9h. 7 39,2  | 4,7     | 6,4     | β Cephei           | 9h. 7 39,03  |
| 64 |      | 21,3    | 20 35,4     | 51,5    | 6,4     | γ Cephei           | 20 35,28     |
| 65 |      | 28,0    | 25 17,3     | 9,6     | 59,8    | δ Cephei           | 25 17,74     |
| 66 | 5,5  | 8       | 36 27,0     |         |         | ε Cephei 164       | 36 26,81     |
| 67 | 0,9  | 26 45   | 39 52,7     | 18,0    | 43,8    | Regulus            | 39 52,71     |
| 68 |      |         | 45 40,46    | 36,7    | 25,1    | ζ Cephei           | 45 40,40     |
| 69 |      |         | 49 36,7     | 22,4    | 7,4     | η Cephei           | 49 36,61     |
| 70 |      |         |             | 58 21,2 | 1,1     | θ Lacertae 35      | 57 40,25     |
| 71 | 8,5  | 55,5    | 10h. 3 41,3 | 29,1    | 15,4    | ι Cephei           | 10h. 3 41,35 |
| 72 |      |         | 6 37,5      | 39,5    | 10 37,7 | κ Cephei           | 6 37,57      |
| 73 |      | 35,5    | 9 33,7      | 36,0    | 13 34,2 | λ Cephei           | 9 33,61      |
| 74 | 31,5 | 56,6    | 23 22,3     | 47,8    | 13,35   | Jovis. limb. pr.   | 23 22,58     |
| 75 |      |         | 25 25,3     |         |         | μ Cephei 241       | 25 25,3      |
| 76 | 40,3 | 34,5    | 33 30,3     | 24,9    | 19,3    | ν Urs. maj.        | 33 30,65     |
| 77 |      | 53,0    | 37 53,6     | 39 37,5 |         | ξ Cephei 255 (6-7) | 37 53,77     |

Adnotaciones.

- 44. Duplex stella. Comae subtilis ad Boream sequitur. Distantia taxata 1 1/2.
- 49. Error in observationem irrepsisse videtur.
- 55. Est duplex. Comae gvaе magnit ad Austrum praecedit. Distantia 1 1/2.
- 59. Observationes hae institutae per frigus maximum, cum in ipso observatorio thermometer, quod prope horologium oscillatorium pendebat, initio - 16° R., mox vero - 19° 6 R. tum in fine - 18° indicabat.
- 60. Et horologii pendulum paulo brevius factum erat, cum 2' pro die tardior motus esset, et per cochleam horizontalem instrumentum ipsum propius in meridiem adductum est.
- 63. Duplex. Comae ad Austrum praecedit. Differentia ascensionis rectae 2 1/2, 25 tempore. Differentia declinationis quarta pars distantiae.
- 71. Duplex. Comae ad Austrum praecedit. Distantia taxata 36". Differentia declin. = 1/3 Distantiae.

| 1814<br>28.<br>Jan. | I.    | II.      | III.        | IV.        | V.       | Nomen              | Medium pro filo<br>III. |
|---------------------|-------|----------|-------------|------------|----------|--------------------|-------------------------|
| 78                  |       | 54,0     | 43' 25,7    | 1,4        | 46' 33,8 | π Cephei           | 43' 25,83               |
| 79                  | 18,3  | 22,7     | 52 26,6     | 32,7       | 54 36,1  | ο Cephei           | 52 26,48                |
| 80                  | 17,0  | 9,65     | 58 0,8      | 54,3       | 46,2     | 4 Cephei (6-7)     | 58 0,90                 |
| 81                  |       |          | 11h.        | 2' 5,6     | 16,0     | 5 Cephei 286       | 11h. 0 52,78            |
| 82                  |       |          | 13 13,4     | 5,0        | 16 51,5  | 6 Cephei           | 13 13,37                |
| 83                  |       |          | 20 56,4     |            | 48,25    | β Leonis           | 20 56,48                |
| 84                  | 9' 6" | 23' 31"  | 12h. 37 32  | 52 6       |          | γ Polaris          | 12h. 37 30,7            |
| 85                  |       |          | 26 48,5     | 31 58,0    | 36 59    | δ Cephei           | 26 48,80                |
| 86                  |       | 30,3     | 41 12,4     | 56,1       | 38,8     | ε Cassiopeiae      | 41 12,40                |
| 87                  | 28,6  | 18,0     | 55 6,1      | 56,55      | 45,2     | ζ Cassiopeiae      | 55 6,19                 |
| 88                  |       |          | 57 43,5     | 26,8       |          | η Urs. maj. pr.    | 57 43,15                |
| 89                  |       |          |             | 59 13,2    |          | sequens            | 57 44,18                |
| 90                  |       |          |             | d. 59 46,7 | d. 32,7  | Alcor.             | d. 59 3,58              |
| 91                  | 44,45 | 22,0     | 13h. 7 58,3 | 36,5       | 13,7     | θ Persei           | 13h. 7 58,45            |
| 92                  |       | 5' 52,35 |             |            |          | ι praec. 91 ad B   | 6 28,80                 |
| 93                  | 7,6   | 46,4     | 13 24,65    | 43         | 43,0     | κ Persei           | 13 24,69                |
| 94                  | 35,8  | 11,55    | 17 46,5     | 22,7       | 58,55    | λ Andromedae 234   | 17 46,55                |
| 95                  |       |          |             | 30 30,3    | 49,6     | μ Cassiopeiae      | 29 9,88                 |
| 96                  | 35,3  | 1,85     | 48 20,0     | 55,8       | 22,4     | Arcturus           | 48 29,18                |
| 97                  | 20,2  | 58,9     | 54 36,7     | 16,1       | 54,6     | ν Andromedae       | 54 36,79                |
| 98                  | 17,5  | 38,3     | 14h. 1 58,5 | 21,5       | 41,7     | ξ Custod. mess. 47 | 14h. 1 58,45            |
| 99                  | 2,5   | 28,35    | 21 54,7     | 20,3       | 46,5     | α Librae           | 21 54,79                |
| 100                 | 29 5  | 55,0     | 32 33,7     | d. 8       | 35 45,0  | β Urs. min.        | 32 33,46                |

1. Februarii.

|     |       |         |             |         |         |                       |              |
|-----|-------|---------|-------------|---------|---------|-----------------------|--------------|
| 101 |       |         | oh. 41 12,5 | 55 6,5  | 9 27    | Polaris               | oh. 41' 10,1 |
| 102 |       | 11,0    | 1h. 2 55,3  | 40,8    | 25,65   | ζ Urs. maj.           | 1h. 2 55,24  |
| 103 |       | 32,45   | 26 16,25    | 58,3    | 41,6    | Cassiopeiae           | 26 16,31     |
| 104 | 36,3  | d. 12,5 |             | 33 25,0 | 1,45    | Andromedae 245        | 32 49,40     |
| 105 |       |         |             | 27,6    | 36 46,8 | 50 Cassiopeiae        | 34 9,55      |
| 106 | 14,35 | 41,45   | 43 9,15     | d. 35,5 | 2,9     | α Arietis             | 43 9,05      |
| 107 |       |         | 52 28,4     | 44,8    | 54 59,4 | β Ursae min. 510 14'B | 52 28,48     |
| 108 | 10,5  | 13,2    | 2h. 0 17,6  | 19,7    | 22,9    | γ Cassiopeiae         | 2h. 0 17,57  |
| 109 | 39,9  | 42,6    | 47,3        |         |         | Seq. 3' B 108         | 47,25        |
| 110 |       |         |             |         | 24,6    | Seq. 1' 5 B 108       | 19,05        |
| 111 |       |         | d. 6 59,0   | 8 18,0  | 39,45   | Custod. mess. 47      | 6 58,03      |
| 112 |       |         |             | 11 9,3  |         | Persei 56             | 10 29,96     |
| 113 | 42,0  | 19,25   | 17 57,9     | 34,9    | 13,0    | θ Persei              | 17 57,92     |

Adnotaciones.

- 80. Mihi duplex, qualis in Uranographia affertur, non apparuit.
- 101. Cum horologii motus tardior etiam multo esset sideribus, nec cochlea ad penduli longitudinem moderandam sufficeret, supposito a-mulo ex orichalco supra fore-pem, quae laminam suspensionis tenebat, pendulum imminutum est et motus horologii propius ad motum siderum adductus est.
- 108. Duplex stella. Differ. AR = 1 1/2, 6 tempore. Comae ad Austrum sequitur. Differ. Decl. = 2/3 Distant. In Uranographia est simplex.
- 109 et 110. De minuta prima dubium est.
- 113. Simplex apparuit, quamquam in Uranogr. duplex.

| 1814<br>r.<br>Febr. | I.       | II.      | III.         | IV.      | V.      | N o m e n .                 | Medium pro filo<br>III. |
|---------------------|----------|----------|--------------|----------|---------|-----------------------------|-------------------------|
| 114                 | 8,3      | 51,65    | 23' 36,5     | 19,55    | 3,65    | γ Persei . . . . .          | 23' 36,49               |
| 115                 | 10,5     | 50,8     | 27 32,4      | 12,55    | 53,35   | τ Persei . . . . .          | 27 32,44                |
| 116                 |          |          |              | 39' 30,8 | 6,7     | β Urs. min. . . . .         | 37 52,31                |
| 117                 |          |          | 3h. 57 29,8  | 7,35     | 45,9    | α Persei . . . . .          | 57 29,68                |
| 118                 |          |          |              | 2 18,80  | 3' 6,8  | Camelop 2 . . . . .         | 3h. 1 31,93             |
| 119                 |          | 49,65    | 5 26,75      | 2,5      | 40,1    | Prope α Persei . . . . .    | 5 26,76                 |
| 120                 |          |          | 7 35,4       |          |         | γ Urs. min. . . . .         | 7 35,4                  |
| 121                 | 52,7     | 29,65    | 16 7,9       | 43,55    | 20,25   | δ Persei . . . . .          | 16 7,96                 |
| 122                 | 5,7      | 4,45     | 22 5,25      |          | 2,5     | Custod. mess. (6-7)         | 22 5,24                 |
| 123                 |          | 33,55    | 27 28,85     | 22,1     | 16,6    | Camelopard 6 . . . . .      | 27 28,85                |
| 124                 |          |          | 30 42,6      | 23,6     | 32 6,15 | Camelop. (6) 50 51 A        | 30 42,53                |
| 125                 |          | 23,0     | 37 25,6      | 32,55    | 41 36,3 | ζ Urs. min. . . . .         | 37 25,50                |
| 126                 | 24,05    | 1,3      | 47 39,3      | d. 16,4  | 54,0    | μ Persei . . . . .          | 47 39,46                |
| 127                 |          |          | 50 40,55     | 18,9     | 57,95   | Persei 207 . . . . .        | 50 40,58                |
| 128                 | 12,7     | 59,3     | 4h. 2 43,6   | 32,3     | 6 17,55 | α Urs. min. . . . .         | 4h. 2 43,68             |
| 129                 | 45,95    | 12,1     | 11 38,85     | 4,5      | 30,7    | α Tauri . . . . .           | 11 38,78                |
| 130                 | 18,15    | 18' 13,5 |              |          |         | Praeced. Camel. 45          | 19 10,81                |
| 131                 | 13,5     | d. 9,0   | 31           | 0,6      | d. 55,8 | Camelop. 45 . . . . .       | 21 6,01                 |
| 132                 | 34,55    | 24,75    | 33 16,6      | 5,9      | 56,95   | 10. Camelop. . . . .        | 33 16,44                |
